

VC  
5180






Chart. 81 No. 50.

60

198.

1584.

98.

JOHANNES FROGHT  
DE BESOZON ET ALIIS  
LONDINIENSIS  
1584.

1.584.

STATUA FORTITUDINIS  
 JULIO - CAESAREANAE  
 IN  
 TEMPLO CLEMENTIAE  
 ERECTA, ET  
 AUGUSTISSIMIS HONORIBUS NATALITIIS  
 AC FELICITATI GLORIOSISSIMAE,  
 SERENISSIMI AC POTENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
 DOMINI  
**JOHANNIS GEORGII III.**  
 DUCIS SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE ET MON-  
 TUM, S. R. I. M. P. ARCHIMARESCHALLI ET ELECTORIS,  
 LANDGRAFII THURINGIAE, MARCGRAFII MISNIAE, ET UTRILISQUE  
 LUSATIAE, BURGGRAFII MAGDEBURGI, COMITIS PRINCIP. DIGNIT. HENNEBERGAE, CO-  
 MITIS MARCAE, RAVENBERGAR. ET BARBY, DOMINI RAVENSTEINII. ETC. ETC.  
MUTIS LAYO  
 BINIS ORATIONIBUS SOLENNIBUS,  
 IN INCLUTAE LEUCOREAE AUDITORIO MAIORI  
 ET PANEGYRI PUBLICA  
 HUMILIMO ANIMI DEVOTISSIMI CULTU  
 CONSECRATA,



A  
 POTENTISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
 SERVIS HUMILIMIS  
**CHRISTOPHORO FRIDERICO, & GOTTLIOBIO CHRISTIANO**  
 FRATRIBUS GERMANIS, VICEDOMINIS AB ECCSTAED.  
 DIRIGENTE EPHORO,  
 M. F. CALENO.



AN VOR-HÖCHSTERMELDE EHRE  
WHR-HIRSTLICHE DURCHLAUCHTIGKEIT /  
N. N.  
UNSERN UNÄDIGSTEN HERRN /

Unterhängste Zuschrift :

**N**laube / das sich Klee zu Deinem Lorber leget /  
Der zwar / gleich diesem / auch von Deinem Lobe grün /  
Und als ein Neben-Schmuck zum Sieges-Kranke dient /  
Den Dein **H**URFURSTLICH **H**AUPT mit Höfsten  
Ruhme träget /  
Seit Dein Gerechtes **S**CHWERT des Altmeths Macht erleget /  
Das Er sich nach der Zeit so viel nicht mehr erläutet /  
Und wünschet / das er längst bei **S**ACHSEN aufgeschaut /  
Als welches ihm den erst- und schwehesten Fall erreget /  
Auf dessen einen Sieg iedweder sich gegrunder /  
Der bishanher erfolgt und künftig folgen kan.  
Wie aber Deine **M**A**T****H****I****Z** mit **G****I****D****E** **S**ICH verbinder /  
So wird auch beyden hier ein Opfer-Dienst gethan.  
Blick es / O **I****O****S****U****A** / mit Gnaden - Strahlen am /  
Das unser Kleeblat auch Dein **H**ONNEN - **L**ICHT empfindet !

AN. WHRST. DURCHL.

Wittenberg/ an 12. des Herbst-Monats/welches der höchste  
erfreuliche Gedächtnis - Tag / Dero vor drei Jahren bei  
Wien Glücklich wieder den Dürken erhaltenen inhumanitatis-  
sen Victoria / die Gott mit vielen folgenden / wie bishanhero/  
seiner bestätigen wolle! J.D. E. 1686.

Unterhängst gehorsamste/  
die

WHRHEBERE.



RECTOR  
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,  
**THEODORUS DASSOVIUS,**  
POESEOS PROFESSOR PUBLICUS OR-  
DINAR. ET LL. OO. EXTRAORD.

CIVIBUS ACADEMICIS  
S. P. D.

**D**Er multa retrò secula eundum, & ad *Cesaris Justiniani* tempora respiciendum foret, si VICEDOMINI NORUM appellatio cum antiquissima origine hic indagari altius deberet. Iure canonum, auctoritate Pontificia statutorum, VICEDOMINI Ecclesiae PATRONI fundatoresque salutantur. Seculis labentibus invaluit, ut, cum Romano Praesuli asidere tenerentur ordinarii Episcopi, habere possent VICEDOMINOS, Ecclesiam ipsorum loco moderantes. *M. Aurelius Casiodorus* tamen autor est in Variis, *Theodorici* tempore Regis domesticis Comitibus adjunctos VICEDOMINOS fuisse, cum imperio sat gravi. Legimus apud *Hincmarum*, defensoribus Ecclesiae ac Advocatis VICEDOMINOS associari, ut sine querela Pontificibus obsequium exhiberetur. Quando in Germaniae has oras, & Saxonie in primis, VICEDOMINORUM dignitas illata sit, ipsa temporis longevitas in dubio ponit. Officii autem primum Nomen in langvinem deinde ac Familias illustriores transisse, à præcipua Nobilitate inclutum splendorem adeptum, pluribus ac luculentis noſcitur indicis. Multa oppido effluxere secula, cum Saxonice his terris atque Ducibus insignes militaresque operas probarunt suas Varii Heroes à *Vicedominis* cognominati. Gloriae ac meritorum indies majora cepit incrementa Domus eminentis, in id incumbens strenue, ut pietatis sapientiaeque studia cum armis copularet.

A

Lon-

Longius enumeratu opus, & à nostro alienum instituto  
videretur, seriem pertexere Heroum togā pariter ac fa-  
go celeberrimorum, qui & florent hodieqve, & hoc æ-  
vo claruerunt maxime. Sufficiet in praelens ad avitas  
laudes plenis fame virtutumqve pasibus contendere  
**PARENTIS MAGNI** & qui ipse hodie Vice-Do-  
mini per Lusatiam Superiorē nec non Consiliarii  
Electoralis officio immortali cum laude fungitur.,  
**CHRISTOPHORI VICE DOMINI AB EC-**  
**STAED**, Dynastæ in Jahmen, Durrbach, Esselberg,  
Colmen & Neuhoff, Generosos Filios, DN. CHRI-  
STOPHORUM FRIDERICUM, & DN. GOT-  
LOB CHRISTIANUM, Germanos Fratres, Academ-  
iæ nostratis Decora. Uterqve hodiè concendet  
cathedram civilem, & peractis ritè pomeridianis sacris,  
in Auditorio majore Serenissimi ac Potentissimi SAX.  
**ELECTORIS**, Domini Nutritiūqve nostri Clem-  
entissimi, Heroicas virtutes pari & ingenio & obseqvio  
delinare annitetur. Qvā in re subituri partes cū  
piissimorum sunt clientum, tūm egregiorum Universi-  
tatis Civium. Ac major natu quidem **FORTITUDI-**  
**NEM** Augusti **PRINCIPIS** expendet , statuetqve  
monumentum, non marmoribus, metallis, cedris, tem-  
porum obnoxii edacitati, sed æternitati animorum &  
memoria posteritatis commendandum. Meritus pro-  
fecto **PATER PATRIÆ** ab Heroicā virtute id elogii  
est, tot generosis, & ad maxima Imperii Germanici mo-  
menta referendis actionibus. Præsentissimo dicerimini  
pro Germaniæ securitate , qvā interfluenta Rheno  
limitatur hodiè à Galliis, tutandā se objicit. Cūm an-  
te ipsum hoc triennium ducenta barbarorum millia (ex-  
ceptis adhuc alibi relictis pasim, per Pannonias in sup-  
plementum distributis, ex Europā, Asia, & Africa col-  
ligeret, mœnibus Vienna ostentaret, cor & Palladium  
Cæfaris Optimi arctissimā obsidione cingeret Purpura-  
torum inter Thracas cum imperio supremo administer  
princeps , qvem *Vestrum* prægrandem sui nominant ,

SA-

SAXONIÆ Magnanimus Dux , JOH. GEORGIUS III. auxiliariorum primus venit, vidit, vicit cum exercitu , virtute potius, qvam numero prolixiori frētus, primus, inqvam, ab audentia, qvi in castris Muhammedanorum munitissimis viētricia defixit signa , inter ordines finistræ alæ duætor volitans, non redditurus ante, qvam vidisset superatum & vertentem terga hostem. Græcia Peloponnesi nunc per orbem universum publicat, qvid causa fuerit, cur inter nives medias, interqve frigora tantoperè accenderetur cura PRINCIPIS Divini, pro salute Christiani nominis : cum Venetorum Serenissimâ Republica dum miscuit consilia secreta ipfēnet, & militare feedus pepigit. Infelix Buda , Budæ , opus, sangvine fraterno impiatum crudelissimo ab Attila, huc usqve, inter aliorum alias, experta vires Saxonum ac legiones oppugnantes est. Vix à se ipso impetrare potuit, qvin proficisceretur iterūm, ALBERTI SAXONIS ( qvem MAXIMILIANO I. imperante Hectorem Teutonicum, & Dexteram Imperii Sunmatē nominabant ) æmulus ex aſſe hæres , Heros noſter , & exemplo ſuo animaret militem. Alter VICEDOMINUS id dabit operam, ut dignum pariter Famâ & Fortitudine Augufta Mnemosynon erigat, Templum CLEMENTIÆ. Depinget etenim imaginem ferendæ fronte , gratioſo lumine , benigniore lingvâ, animoqve Hectorem in PATRIÆ PARENTĒ ; qvamqve nihil comitas fēveritati, gravitati bonitas, humanitasqve Majestati de-roget , firmifimis evincet argumentis. Neuter non rem ager strenuè, illuſtraturus laudes Incliti, Magnanimiſqe PRINCIPIS, oratione diſertissimâ, nec non compotisimâ: hâc tamen lege, ne in Patrum reliquorumqve Auditorum patientiam prolixitate ambo peccent, temperare malunt ſibi, non ultra hora ſpacium, exceptis Musicis concentibus, dicturi. Veftrum erit CIVES ACADEMICI, ſolemniorem hanc Panegyrin , HONORIBUS SAXONICIS Auguſtisq; NATALIBUS ſacram, freqventissimo conflu-xu exornare. Sic namq; fieri, ut & pietatis ſimul, & officiorum debita laudabili exemplo paratissimè ſolvatis. P.P. Dominica VIII. poſt TRINITATIS. Anno Salutis reparatae clo. Iac XXCVI.

ARIA  
Zur Music vor dem Actu:

I.

**D**urchlauchtigst - Theures  
Landes - Haupt /

Du Krohn' und Zierde Grosser Helden /  
Im Fall den Mäser auch erlaubt /  
Dein unvergleichlich Lob zu melden /  
So las jetzt auf Parnassens Spigen  
Dein Helden-Bild / als Sonne blitzen.

II.

Was deiner Tugend himmlisch Licht  
Zu schuldiger Verehrung schauen /  
Und zu Bezeugung tiefster Pflicht  
Dir einen Ehren - Tempel bauen /  
Darin jedweder seine Bitte  
Und Wunsch für Dich / als Bevrauch schütte !

III.

Wein Licht / das Feinde brennt und blendt /  
Kan unsren Mäsen Schatten geben /  
Dein Schwert / das keine Scheide kennt /  
Mitt jenen und schürt uns das Leben :  
Der Himmel füllt den Groß Gemüthe  
Mit gleicher Tapferkeit und Güthe.

IV.

Brum gönn uns diese Lust und Ruh  
Das wir der Rauten Ammuth schmecken  
Und schreiben dir die Wohlfahrt zu /  
Die Ihre Wirkungen erweceln /  
Wenn Siemit Hülf und Rettung haben  
Was Eure und Pabst vergiffen haben.

V.

Was grüm' auch hier das Vorber - Reich  
Das Dein gerechtes Schwert gebrochen /  
Als Du auf Göttliche Schedt  
Der Donau Schmach zu erst gerochen /  
Dass nun an andern Sieges - Kränzen  
Noch immer Deine Blumen glänzen.

VI.

Eist unsre Farb' und Hand zu matt  
Dergleichen Zierden furzumahlen /  
So findet doch der Will statt  
Und hebt sich durch Deine Strahlen /  
Ins künftige von höhern Dingen  
Ein schuldigst Opfer DIR zu bringen.



CHRISTO FAVENTE!

ORATIO PRIOR.

Sistens Statuam Fortitudinis Ju-  
lio-Cæsareanæ & huic consimilis  
SAXONICAE ELECTORALIS,  
**JOH. GEORGII III.**

ETC. ETC.

RECTOR MAGNIFICE,  
PATRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI,

*Viri Magnifici, Summè-Reverendi, Consultissimi,  
Experientissimi, Excellentissimi, Nobilissimi, Amplissi-  
mi, Clarissimi, Dm. Patroni, Preceptores & Fautores,  
omni officiorum genere colendi:*

*Tuque,  
Letissima Commilitum favorissimorum Corona.*

**P**RIMUS post menstruum  
dies hic labitur, qvum aūpicatisimo,  
qvod Saxoniam imprimis universa lætetur,  
sydere illuxit OCTAVA CALEN-  
DAS JULII, Dies illa lætabilis, qvæ &  
NOMINIS ELECTORALIS splendore coruscä,  
& celebrati qvatriduo antè NATALIS E JUSDEM  
radios suis velut admiscens, tantò solidioris gaudii præ-  
buit argumentum. Cujus publicè testandi ut sua cūique  
pietas facile causam, semperq'ue suggesterit; ita ferò etiam  
cultui, modò serius sit ac devotus, suum esse locum ac  
favorem, nemo dubitat. Eqvidem, qvantà olim reli-  
gio-

B

gione Græci pariter ac Romani diem eum, qvō in lumen editi essent Imperatores & Principes , coluerint, qvamq; festum ac solenne id omne tempus habuerint, nemo tam hospes eorum in Historiā est, qvin cognitum pridem habeat. Apud Romanos certe tantus erat moris istius honos, ut in legem ac jus deinceps abierit, & Dionis ac Tacito referentibus , vel fōlo hoc nomine Consules abdicaverit Caligula, qvōd Natali suo celebratē & diem festum non indixissent. Triumviri qvoque sub Cæsare Octaviano coegerunt omnes, ut Julii Cæsaris Natalem laureati ac hilares celebrarent. Ed etiam fancitō, ut qvi id neglexissent, execrationibus Iovis haberentur obnoxii: siq; Senator aut filius Senatoris in eo deliqvisset, is mulctam decies festertium numeraret. Ceterum neque intra unius alteriusvē diei solennitatem ita substitit religio; qvin ad *menstruum* plerumque & ulterius protensa spatiū, tantō uberiore affectū prolixitatē prodidit, ac propriō solenniorem se habere Principum & illuſtrium Virorum Natalem dōcuit. De Mecenatis olim sui Natali Lyrorum Princeps;

*Jure solennis mihi, sanctiorq;  
Pene Natali proprio, qvōd ex hac  
Luce Mecenatas meus affuentes  
Ordinat annos.*

Qvem in modum Censorinus etiam Q. Cerealis natalem celebrans: *Qvum singuli homines, inquit, suos tantummodi proprios colant Natales, ego tamen duplici quotannis officio huius religioni aſtrinor. Nam qvum ex Te Cerealem appellat) tuāq; amici: à honorem, dignitatem, decus atque praefidum, cuncta deniq; vite præmia recipiam, nefas arbitror, sī diem tuum, qvi Te mibi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebravero. Ille enim mibi vitam, hic fructum vite atq; ornamentum peperit.* Quid nos? qvi, qvod illi amicitiae sinceroq; amore tribuerunt, meritis *Oprimi Principis, ELECTORIS CLEMENTISSIMI* debemus? qvippe cuius

NA:

NATALIS id nobis beneficij præstat , ut suum qvisque Natalem feliciter ac tranquillè transigere possit.  
Imprimis verò me , Fratremq; fæcior obstringit Religio, Natalique Principis peculiare qvoddam Pietatis officium depoñit ; qvorum non solum Majores atque Parentes, sed omnis adeò *Vicedominorum* familia PRINCIPALI SAXONICÆ DOMUS Gratia nuncquam non fota fuerit . & adjuta . Qvare id nobis potissimum incumberet semper putavimus, tanto ut fayori nostra responderet obsequi fides, humillimæq; devotionis, qvâ posset occasione, pignus daret & argumentum. Qvò minus miraturum qvenquam Veltrum credo, A. H. cur nos potissimum has gratulandi publicè partes, qvâ quidem decet, modeltiæ & humilitate , nobis sumserimus, impares utiq; negotio , & qui neq; ætate , neq; ingenio, neq; dicendi peritiæ cum aliis ex ordine nostro simus comparandi. Ut autem sanctius atque perennius Dieti hujus auspiciatissimi nostræq; devotionis humillimæ extet monumentum , utq; meæ simul tenuitati atque in dicendo infantiae reætius consulam , qvæ in percensendis , ne dicam celebrandis univeris, cum Optimo PRINCIPE concessis nobis divinitùs beneficiis, ( qvorum hoc tempore imprimitur gratiam recolere memoriam Pietatis intrefat ) jejunius longè ac infelicius effet versatura , missis jam ac sepositis ceteris omnibus , id unum saltem , qvâ potero brevitate perfecvar, ut quantum FORTITUDINI PRINCIPIS AUGUSTISSIMI debeamus , qvamq; hæc ipsa Virtus excelsissima reliquas inter Principales Ipsi dotes, velut inter ignes Luna minores emicet, oculis vestris animisq; evidenter paulò exponam; Idq; qvum alias plures ac luculentas ob causas, qvas suscipiari cuivis in proclivi erit , tum antiquitatis etiam causâ, qvæ hanc ipsam octavam Calendas Jul. Forti Fortune olim facram habuit, & Sacra insuper Martialia idib⁹ Mensis hujus celebravit, uti ex *Varrone*, *Ovidio* aliisque docuit sagacissimus antiquitatis scrutator , *Rosinus*.

B 2

Quid?

Quid? qvōd & fortissimi facile Herois , Julii Cæsaris  
Natalis, quartō Idus Julii olim celebratus proximē  
JOHANN E U M HUNC N O S T R U M con-  
tingat ; Alexandrum qvoque re & nomine Magnum  
sextō mensis hujus natum , Plutarchus & Elianus pro-  
diderunt memoriae. Qvare & Veterum ego secutus  
morem & institutum, qvi Principum honoribus die Na-  
tali Statuas consecrabant & simulacra, sanctè deinceps  
ac religiosè etiam post fata ipsorum colenda , ipse par-  
ter Fortitudinis elegantissimam speciem in Potentissi-  
mi ELECTORIS Noſtri imagine ita expressam, non  
Praxitelis qvidem aut Phydiae ſcalpello, aut Apellis vel  
Zeuxis penicillo, (qvo solo pungi Magnus Alexander vo-  
luit) ſed ſtylo, licet impari ac exili, delineabo. Ut in Ipsi⁹  
SUMMI PRINCIPIS EL. vultu augustinisimo, graphi-  
cè hic , proximè cathedram, depicto , non aliam  
deinceps qvām Hectoris alicujus aut Achillis, aut, qui  
hos omnes Fortitudine rebusqve præclarè gestis ſupe-  
rare creditur, *Julii Cesaris Imaginem* videre Vobis ac fu-  
ſpicere fitis viſuri. Eqvidem grave me ſubiſſe onus de-  
mum ſentio , ac Lipsi recordor , excusatius alicubi de  
militia ſcriptionem, qvam ipſe non miles edere ſuſtinuerit.  
Qvit tantus tantiqve ingenii Vir qvodſi minūs di-  
gnè ſe traditurum existimavit, qvæ ſuð non comperta u-  
ſu & exercitio haberet, qvā ratione ego, qui procul omni  
armorum strepitu & pulvere intra Muſarum recessuſ ta-  
citos & literata otia ad hoc ætatis perveni, parem rebus  
Orationem afferre, tantumqve verborum pondus, tan-  
tam copiam ciere potero, qvæ negotiorum magnitudi-  
nem æqvet , geſtilqve Max. Principis respondeat ? Ve-  
rū enim verò ſi laudem dicendo non emeruero, ſuffe-  
cerit, pietatis & obſeqvii gloriam obtinuiſſe, Veltriqve,  
RECTOR MAGNIFICE & A. H. in me favoris,  
ex benevolâ brevisimi temporis attentione, argumen-  
tum exofculari. Qvo qvidem nomine Veltram omnium  
bonitatem , ſtudio qvām decet enixiſimo rogo  
atqve obteſtor.

Ut

ris  
nē  
m  
ro-  
us  
la-  
ps  
ri-  
/i-  
on  
vel  
o-  
fig  
ni-  
l  
jvi  
pe-  
su-  
de-  
e-  
di-  
u-  
ni-  
a-  
us  
n-  
li-  
e-  
e-  
s,  
n-  
pi-  
zo  
It

Ut verò plurima sint oppidò & augustissima, qvæ ipsò vultu Serenissimo prodit ELECTOR OPT. magnæ atqve excellentissimæ virtutis cuiusqve simulacra; nescio tamen, an Fortitudinis venerandā imagine, ulla in Eo exfantior, aut qvæ obtuentium animos oculosqve majori luce perfundat. Qvin omnes ad eam artus, motus, nutusqve ita compositos deprehendemus, ut Fortissimorum MAJORUM indolem omnem uni Hujus pectori impressam, unius augustissimo Vultu expressam haud temerè simus arbitraturi. Ita nimurum Horatii verbo, qvod veritate suâ toties adduci meretur: Fortes creantur fortibus & bonis, nec imbellem Aqvilæ generant columbam. Neque adeò mirum, cum ipso statim sangvine Heroicum ejusmodi Spiritum in Principem nostrum transiisse, qvō periculorum qvevis ambigua tam intrepidus subiit. Infiniti laboris & longi temporis negotium foret, in spatiosum Historie Saxonice campū descendere, omniaq; illa, qvæ Sangvine hōc Heroico genita sunt, miracula Fortitudinis atq; prodigia, coram siſtore. Nā quid de FRIDERICIS, SEVERO, STRENUO & BELLICO (ut priores taceam) qvid de ALBERTO illo verè ANIMOSO dicere, qvem ob invictā armorum virtutem & incredibile animi robur qvidam TEUTONICUM HECTOR EM; alii, & miles maximè, ROLANDUM ALTERUM; Princes ipsi DEXTRAM IMPERII, Imperatores verò PATREM, Cystodemque Libertatis Publicæ appellārunt? Qvibus laudib⁹ vehērem Herculeam animi vim invictissimi olim MAURITII, qui rebus præclarè gestis eam Historiarum materiam orbi erudit⁹ dedid, qvæ disertissima pridem fatigavit ora, cultissimā que vicit ingenia? Jam AVI, Beatissimas memorias JOHANNIS GEORGII I. tot prælia, tot victorias atqve triumphos si enumerare sustinerem, annalium opus texerem, historiarūmq; nesciū non nisi fabulas narrare viderer. Sufficiat igitur dixisse, nunquam à se ipso degenerare Saxonum Sangvinem, sed sūi semper

similem Virtutem Heroicam (favit DEUS ad ultimam usq;e posteritatem!) propagare. In NOSTRI certe vel primâ ætate generoli illiusmodi emicuerunt igni-  
culi, qui solerti deinceps educatione foti & enutriti eum jam tûm ardorem promittebant, cuius nunc vim suscipiunt omnes & venerantur. Qvôq; qvam & Serenissimus PARENS mirum in modum delectare-  
tur, nihil prius, nihil antiquius habuit, qvâm ut vario exercitiorum illustrium genere, magis magisq;e eliceretur, eðq;e tanquam certaminum graviorum simulacro qvôdām & imagine futuræ Virtuti præludere affluesceret. Nec defituit docentium industriam *Principis* in discendo felicitas, sed tanta alacritate illa omnia imbibit, ut cuiusvis mox spem & gaudium, mox admirationem atque stuporem provocaret. Hinc e-  
quitare intra cancellos pro conseqvendo brabéo, aggre-  
diendo caedendoq; feras, victoriosum aliquem imitari bellatorem, & qvæ sunt alia hujus generis belli pugna-  
rumq;e præludia, non aliis magis, ne dicam *Principum*, sed eorum etiam, qvos summo studio per totam vitam talibus incumbere juvat, & calluit unq;am & exercuit. Itaque etiamdum tenerior *Principis* animus virilibus ausis adfvetus corpus pariter ad patientiam laborum ac tempestatum ipse mature confirmabat. Unde omi-  
nari in proclivi erat, qvalem se olim præflitus esset in ferio magis ac severo Reipubl. negotio, & qvocunq;e casu, quem ferre posset necessitas. Neq;e se felliit lâ-  
nè augurium, qvin, qvod præfigiebant tunc omnes, nos experti sumus, & quem illi optabant, nos videmus coram ac veneramur Heroëm invictissimum, in ñò talem qvi, qvicqvid gloria fortissimi qviq;e, junctis invicem **Virtutibus**, habent, solus & summâ qvâdam perfectio-  
ne sibi vindicat. Eqvidem plurimos bellicæ Virtutis gloriâ insignes comperimus Heros alios, sed nec multo pauciores, qvialiquam subinde labemisti laudi asper-

fe-

serint. Ita intrepido aliquis animo hostes aggressus est,  
sed suis nimium viribus confisus , neglecto Numinis  
auxiliō, necessariam Fortitudinis comitem desiderari  
pasq; est pietatem. Alius omnia periculorum ambigua in  
motus subit, sed qvia temporis & Prudentiae rationem  
~~h~~ non fecutus, cecoco impetu proruit, verae Fortitudinis  
gloriā privatus. Vincere alius, sed Victoria uti nefcit,  
Neque in omni bellandi genere unus æqvè præcipuum  
laudem invenit. At nostro Principi qvanta concordia,  
qvantis concentus omnium hujus generis laudum est?  
Qvandocunq; bellandi ingruit necessitas, ac pro pa-  
tria salute, pro libertate in armis standum est, animo qvi-  
dem haudq; qvam dejectus hostes repellere parat, Di-  
vini tamen Numinis auxilium ardentissimis precibus sibi  
sumul exorans, Pietatem Fortitudini pulcherrimo nexus  
conjungit. Spartani olim ad bellum ituri non tympanis  
non lituis, sed foliis Poëta Tyrtaei versibus animos in-  
flammabant. N O S T E R laci Præconis voce ex Bi-  
bliis sub cuiusvis pugna auspicia hortari suos ac excita-  
re jusfit. Nam uti Platonis Ethnici Christiano prope-  
modum effato: Nemo vir magnus sine afflato divino  
unq; exstitit; ita nec nisi invocato Divino Nume  
audere magnum aliquid aut perficere licet. Ajaci  
etiam Ethnico exprobrat ipse Ethnicus Homerus, qvod  
ad pugnam iturus, monitusq; de Deorum in partes  
vocando auxilio, ignavis, responderit, illo opus esse.  
Secus N O S T E R, qvi ad exemplum Constantini M.  
in folo Crucis & Lucis Divinæ Signo vincere se posse ra-  
tus, symboliac tessera velut militaris loco illud Davi-  
dicum usurpat : D O M I N U S V E X I L L U M  
M E U M! Der HErr ist mein Panier! Imò pari pie-  
tatis sensu devotissimo etiam subditorum corda imbuit,  
inuncta subinde, pro exigente rerum necessitate, pre-  
cum publicarum, jejuniorum item & supplicationum  
solennium religione.

C 2

At-

Atque sic cœlestibus auxiliis succinctus , arma vi-  
tricia feliciter stringit , & obvios qeosque hostes con-  
fidentissimâ virtute aggreditur. Neque tamen armis  
magis aut heroico spiritu , qvam prudentibus pugnat  
confilii. Probè gnarus , verè dici apud Polybius :  
*Caθὸν ἐν Εὐλυμνα τὰς πολλὰς χρέους νικᾷ* , *Conſilium unum prudens magnam militum manum vincit.* Ea verò si  
unius confilii vis est , qvid plura , cumqve expertis summè  
ac celeberrimis Belli Dicibus , qvos liberali semper gra-  
tia fovet , communicata & suggerita vicissim confilia valuiſe putabimus ? GOLZIANA imprimis & FLEM-  
MINGIANA , Belli Fulminum , non temere unquam  
sed nec impune cum JOVE SUO SAXONICO  
irruentium. Qvare , si flecti ratione hostis , si devinci-  
ri feedere salutari , si dolo denique legitimo illudi & de-  
jici molitionum machine possit , abstinet potius armis  
NOSTER , paret Patriæ , quieti publicæ , militi , hosti-  
bus , nec qvod Augustus Imp. disvasit , aureo piscatur ha-  
mo. Ubi a nullo istorum ad salutem ac securitatem pro-  
ficitur , qvà data causa legitima , ruit vindice dextrâ , &  
insultantem temere proterviam conculet. Leoninâ  
utrinque virtute ,

*parcere subiectis & debellare superbos ,*  
doctus , admirando prorsus exemplo prodit , quantum  
in bello valeant Fortitudo & prudentia , fororio inter  
se vinculo copulata. Scilicet hæc Julianæ olim forti-  
tudinis dos prima pariter numeratur , qvod nisi circum-  
spectis probè omnibus , exploratis hostium confiliis ,  
itinere , viribus , animo , in arenam haud facile descen-  
derit , singulas prudentia militaris partes non stilo ma-  
gis in suis historiarum libris , qvam factio in expeditioni-  
bus qvibuscumque expressurus. Ceterum qvod Salu-  
stius dixit : *Postquam confuleris , mature factio opus est* ,  
non alias magis , qvam idem laudatissimus Cæsar & no-  
ster Cæsare major SAXO dictum sibi putarunt. Ale-  
xandri exemplo *μηδὲν αἰσθάνομενοι* , nihil quidquam , ut  
Luca-

*Lucanus* reddidit, actum credentes si quid superesset agendum. Neque enim minus paullò momentum bellicis rebus adfert ipsa expediendi velocitas, & immensus cuicunque occasione solertia, qvâ vel casu oblata vertantur in consilium, & fortuna nñtui etiam leviori deserviatur.. Itaque ut primum pietate peccus, prudenti circumspectione caput, virtuteque ac robore invicto dextram armavit NOSTER, quantâ pedes alacritate movet, qvam copiarum festinationem exemplo urget, vota propè omnium & oculos fidemque anteverens? Tum verò totos dies in equo discurrere, cohortes circumire acturas, adeisse ubique, & vel facienda præcipere, vel exigere præcepta, sudoremq; principalem miscere pulveri, refectionis ipsi loco est. Tum nihil à reliquo coetu nisi robore & præstantia dif fert, titulis, cultu & signis imperator; labore, vigilancia ac tolerantia miles, tantò plus virtutis in copiis suis experitur, quanto ipse sua plus expressif: tantò prouincia obsequia, quanto facilitiora dedit ipse auspicia. Hinc enim amoris, alacres, hinc pudoris, seigniores tracti vinculis, vel nutus autoritatem sequuntur, eumque collunt juvant, tueruntur promptissimè Duce, quem non tantum studia sua laboresq; ut exactorem intendere sed tangquam socium participemque relevare, bellique & hostium & fortunae & cœli injurias non minus constanti subire animo adverterint. Fuit & hæc quondam Julii (ad cuius prototypon subinde mihi respicendum est, in effigiendo Fortitudinis Saxonicae simulacro) Fuit hæc, inquam, & Julii sagacissima moderatio, ut gravitatem ipsa comitate tueretur, utrāque Imperatorem & commilitonem subinde miscens, non disciplinâ magis, qvam exemplo suos in officio contineret.. Ceterum similis utrinque instituti non dissimilis eventus fuit, non dispar felicitas. Nisi quidem NOSTRI majorem longè & illustriorem, qvum ex ipso armorum & belligandi hodierno usu, tum ex amplioribus inde in

D

Remp.

Remp. eamque Christianam commodis jure suo dixerimus. Atque de his qvidem , qvod de Carthagine  
*Salustius* ait , tacere qvā pauca dicere satius utique  
jam foret , nisi argumenti , qvod ingressus sum , ratio re-  
ligiosam mihi vel jejunè dicendi necessitatem impone-  
ret , aut si citra ingrati animi notam possent ea non sa-  
pissem̄ commemorari. Quare recordamini jam ipsi  
A. H. haud dubie , qvam undecimus ante hunc annus  
testandæ Virtuti materiam Nostro præbuerit. Or-  
tum nimurum in Belgio belli incendium totam prope-  
modum Germaniam derepente involverat. Antiquæ  
Germanorum Libertati velut è specula insidiabatur Gal-  
licus nostri temporis Philippus. Id omnibus modis a-  
gebat ambitionis plus qvā Monarchicæ cestro percitus Rex , ut non Patriæ solum nostræ , sed vicinis etiam  
Regni acerbissimum servitutis jugum , quantum in ipso  
efset , imponeret , & qvidqvad huic animi impotentiae  
obstaret ac definitorum ordinem decentissimā qvāvis  
ratione evertere auderet , si minùs argento corrumpi  
ac trahi in partes posset , igne , ferroqve subigeretur.

Quid tū N O S T E R ? Ratus ad sē pertinere moti  
in proximo incendiī periculum , laboranti Reip. præsto  
aderat , omnesqve hostilium armorum impetus exci-  
piebat pariter ac propulsabat. Cum exigua sed lectissi-  
mā militum manu Saxoniam egressus , eas derepente  
terras adiit , qvibus tūm bellī moles incumbet , signis-  
que aliquoties cum hoste collatis , liberam Francorum  
gentem ignobili jugo , Rheni accolas Gallorum sevi-  
tia , universam denique Germaniam Regis istius impo-  
tentiae fortiūs an feliciūs eripuit. Qvō ut maximo  
& ad omnem ætatem memorabili facinore tamen præ-  
lusisse faltem majoribus videtur. Qyid enim jam de  
ftupendā illa sive virtute , sive celeritate , sive felicitate  
dicam , qvā ante triennium istud IN LIBERANDA VIN-  
DOBONA CÆSAREA non elogium tantū omne , sed  
ipſam adeō , nisi contuentium , fidem omnem supera-  
vit?

vit? Eqvidem A. H. non sine hōrore animum Ve-  
strum subibit unquam memoriam discriminis illius post  
hominum memoriam maxumi, qvod fidelium tunc  
coetui, ab infensissimo Christiani Nominis hoste im-  
minebat. Vasto is se impetu in Hungariam Germa-  
niamque effuderat, terrorem, rapinas, incendia impunè  
circumferens qvocunq; eum effrāns libido & impo-  
tentia furoris agebat. Qvæ per omnes sexus, ætates,  
ordines ita grassabatur, ut cum plebe periret no-  
bilitas, cum leneatute venerabili juventus, tenellique  
infantes, nisi qvi Muhammedanis imbūendi blasphemias  
ac serytiis inancipandi duriorem morte vitam, tristi  
beneficio, servarent. Lubrica passim sangvine Christia-  
norum terra, lucretuq; ferali, planctuatq; suspiriis pio-  
rum undiq; vaque remugiens, tam tristem stitit rerum  
faciem, qvalis, cùm conclamata sunt omnia, noðteq; ve  
ac tenebris involuta, vel concipi potest. Jamq; ve  
in Arce Vindobonensi Cæsareā cor ipsum atq; Pal-  
ladium Christiani orbis tam repentina ac atroci incur-  
su infestabant Barbari, tam pertinacibus qvatiebant im-  
pulsibus, ut cessura mox furori ignium cædiumque  
videbatur, nisi cœlesti oppidò, & qvod eventus qvām  
maximè docuit, HEROICO VERE SPIRITU excitatus  
NOSTER cum instrutissimo exercitu, benigni ac ve-  
locissimi instar sideris, longinq; itinerū emenfus, adful-  
fislet nutanti, cumq; fulgore arma, cum armis cædem  
clademq; & cum clade terrorem fugientibus inferens,  
Sociorum qvorundā adjutus ope, properantia Christia-  
norum vota celeriori victoriā prævertisset. Ut non ve-  
riū olim siā de velocitate rescriperit Julius glorio-  
sum illud: VENI, VIDI, VICI, qvām Noster Princeps  
id qvidem potuerit, qvi visō vix hoste multo immatri,   
correptisque vixdum armis, majori longē impetu ur-  
gebat, fulminabat, sternebat. Primum enim cum suis  
in hostes fuisse, primamque edidisse stragem propa-  
lām constat, & frustra dissimulant, qvi partium stu-

D 2 dio

dio abrepti, eam INVICTISSIMI SAXONIS saltem reli-  
gioni gloriam invident. Vix enim aliquem è sequioris  
fidei scriptoribus haecenus quidem reperias , qui pari  
cum MALEGONELLO Romano , candore, æternum id  
decus Saxonibus adserat. Primum, inqviente, belli im-  
petum fortissimi Saxones excepero, qui, tanquam pro mo-  
dò virtutis, fortuna gradus deberetur, primà in acie con-  
stituti, illatis ultrò acceptisque vulneribus in vestigio quis-  
que suo, fameque superstites cecidere, haud indigni illi-  
us imperio PRINCIPIS, à quo gloriofissimè deuceban-  
tur. Ac sanè qvō vultu HIC animdq; & qvām imper-  
territo planè præfentissimis periculis, posita etiam ga-  
leā & lorica , frontem ac pectus objectarit, qvām  
per obvias undique mortes, per erumpentia ccelo ter-  
risque fulmina huc illuc volitans , succelerit fessis,  
laudarit strenuos, retinuerit cedentes, nisi qui oculis  
usurparit ipse, vix credat nedum eloquatur alius. Quid?  
qvod ex ipsis pugnae socii atqve arbitrii non pauci, pe-  
nicitanti subinde ELECTORIS vita timentibus , inque  
stuporem velut aëtis, riguisse oculos, stetisse comas ,  
vocemque faucibus hæsile fibi profiteantur , usque  
dum collecto denique animo, irruentem subinde ad mi-  
nus tuta PRINCIPEM ægrè retinuerint, satis grande,  
ingerentes, momentum victoriae, si tradat auspicio & for-  
midatum Nomen intentet. Etenim qvem domi AUGU-  
STISSIMARUM MATRIS, UXORIS, SOBOLIS  
preces , ab expeditionis difficillimæ auspicio avocare  
non poterant, neqve nunc eo jam progreffsum usque  
victoriae tardare adstitutum ministrorum vota aut confi-  
lia valebant. Itaque , non nisi cæso, post acerrimum  
conflictum, profligatoque hostium agmine, everfis ca-  
stris, ereptis signis , armis, machinis, omniqve adparatu  
& opibus, in liberatam spe citius Vindobonam viætricia  
deum signa infert, qviete, qvam ipsi reddiderat pri-  
mum gavilurus. Atq; hic A. H. reætiūs & mihi qviescen-  
dum forte videtur, qvām ad explicanda, qvae victoriæ  
hanc consecuta universum sunt uti commoda ita tripu-  
dia

dia pergendum. Tot enim utique ac tanta ea sunt, quibus nec Tullianum fortè flumen, nedum nostra sufficerit ariditas. Veterum sanè, quæ de rebus in bello præclarè gestis circumferuntur, monumenta multa & illustria mino hodie miramur, ex quo omnè quantæcumque illius gloriæ sumnum unā hāc in victoriā contineri agnoscamus. Julii plures victoriæ, quam vitæ anni numerantur; sed & occisorum ipsius auspiciis undecies centena milia hominum, nec cives inter hos pauci numerantur. De ipso victoriarum usu ad Dominium & Principatum ut nihil jam commemorem. NOSTER glorioſissimus viator vix cohortium aliquot jaetur id præsticit Imperatori, Imperio, Principibus, Germaniæ, & universo, quæ patet, orbi Christiano, quod ad illos omnium victoriarum fructus compostum, vix nominis meritum integrum eis relinqvit. Usque adeò non habet ex omni fastorum memoria, quod in confortium laudis immensæ gloriæ; comparationem admittat. Nisi fortè in ipsa Gente suâ Serenissimâ ad ANIMOSUM illum quem supra diximus ALBERTUM hic iterum respiciat. Qui MAXIMILIANI I. rebus tunc fortè nutantibus tantâ pariter promptitudine adfuit, eaque virtute Imperii dignitatem & nomen Austriacum afferuit, quam nec hostis illaudatum relinqueret, publicè professus, uno absq; ALBERTO siuifet, se mediâ in Germaniâ siuifè caltra posfutrum. Equidem quid nunc de Austria ipsaq; Germaniâ futurum fuisset, tam in manu Barbarorum impetu non masculè represso, nemo nostrum, credo, est, qui in præcipiat animo. Quod rectius pariter intelligent omnes, QUANTUM PRINCIPIS NOSTRI FORTITUDINI DEBEATUR. Expressum id curatiū per saturam videtur, quam ipse hic possum, in Moneta illa Svecica A. 1596 LX. CAROLI GUSTAVI REGIS Honoribus dicata, quæ singulas Regii Ornatus partes singulo lemmate insignitas exhibet. Corona addita: MAJESTAS PUBLICA. Sceptro: TUTELA CIVIUM. Orbi: CURA RELIGIONIS. Clavi: VITA IMPERII. Ensi: CUSTODIA LEGUM. Certè si AUGUSTISSIMI IMPERATORIS IMPERIOQUE MAJESTATEM publicam prono humilique vultu fūspiciamus, plurimum ei roboris & ad

REATORES EA

E

com-

compescendos magis magis; Thracas praesidiū & ad recuperandā, qvod  
vovemus acominamur, BUDAM, finesque illorū omnes, bonæ spēi ac fi-  
ducie, unā illā Victoriā Vindobonensi accessisse, fatemur, necesse  
est. Civium porro omnium salus ac securitas, qvomodo vitam velut spi-  
ritumq; inde receperis, publici abunde plausus docuerunt. Doctrinæ fa-  
cere puritatem ne pollueret ultra blasphemā heres, Fortitudini PRIN-  
CIPIS debemus. Legum & qvā his continetur, morum sanctimo-  
niam ne promiscua temeraret licentia, eidem debemus Fortitudini.

Cui porrō delinquantē qvō magis ingenii aciem intendo, eō minis  
sufficere mentem manuq; intelligo. Qvam de tabula denique istā ad  
Vos converto A. H. enīx rogitanus, ut, qvod in cā nō affectus sum  
Principale Decus, sublimitati ac splendori tributatis, vetroq; benigno-  
ri suppleatis iudicio: nō commissuri, ut debito ejus honorū nostrā infirmi-  
tate quidqvānta decedat. Qvare, qvod supereft, impertimini culte &  
salutatione religiosissimā egregium iustū FORTITUDINIS ELECTO-  
RALIS SIMULACRUM! Oculamini peccūs Pierate & Zelo religionis  
aſtuans! Reveremini Caput prudentissimē circumficiens; Frontem ex-  
portatam & imperterritam: Oculos suā majestate, & qvam minantur  
refractariis, severitate timendos, hostibus terrores, subditis delicias: Ora  
cum fulmine qvōdam resoluta: Manus ori compares, & non minori felicitate  
qvām fortitudine hostium capitibus imminentes: denique Pedes,  
ut adeundo celeres, sic pugnando pertinacissimē inflantes! Salve igitur,  
Jofia nobis alter, ELECTOR MERITISSIME! Ter, & amplius salve, re-  
divive Gideon! Chara Deūm Suboles, Magnūm Patriæ Incrementum!  
Qvo TE cultu, qibūs gratiis, & qvibūs denique eas verbis impertemus,  
cui nō fortunas modō, & quidq; sumus ac posidemus, sed hunc, qvem  
trahimus, spiritum, si à coelesti Numine diccesserimus, debemus? Alcibia-  
dem acceptimus, à devictis olim hostibus Athenas reducem tātō civium  
plauſu, tamq; exigitō exceptum honore, ut qvum sanctius & augustius  
qvod offerrent, nihil haberent, ipsos venienti Deos gratulantes obviā  
tulerint: non ut victorem illum, aut victoriae pacisq; assertorem, sed ut  
ipsum Victoriā cœlitū demissam intuiti certatim ac venerati.

Noſ ſaniori religione, non TIBI Deos; ſed TE DEO offeremq;. Devo-  
tis ipſum rogantes precibus, ut TE commune totius Imperio Praefidium  
perpetuō foveat, prospereat ac tuat! ut Imperio Tuō ac ducū Patriam  
ubiq; salvam, ubiq; compotem Libertatis ac tenacem Religionis p̄fetet,  
TEQ; ac TUOS omni bonorum Principiū cumulo adaugeat! Eat  
Fortissimi Principiū in Secula celebritas! Siftaſ ſe in FILIO ac NEPOTE  
qvōvis incluta Virtus, & in QVARTO imprimit JOH. GEORGIO TRES  
PRIORES nobis reddat! Ferat & HUNC qvocund; tendit, ipsa Salus, Vo-  
tisq; Ejus præveniat fatorum benevolentia! Audi preces has Supremum  
Numen, & felicitati, qvam dedisti, fave, tantisque muneribus adde perpe-  
titatem! DIXI.

CHRISTOPH. FRIDER. VICE-DOM.  
AB ECSTAED.



CLEMENTISSIMO!  
GUBERNANTE CHRISTO!  
ORATIO POSTERIOR.

Sistens

TEMPLUM CLEMENTIÆ,  
STATVÆ FORTITUDINIS ELECTORALIS,  
recipiendæ Sacrum!

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,  
PATRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI,  
Dm. Patroni, Praeceptores ac Fautores, qvâ  
par est obseruantia, cultu ac studio profèquendi, Hospi-  
tes item ac Auditores reliqui omnium Or-  
dinum Honoratissimi,  
Tuqve, Commilitonum Corona florentissima:

VÙM PLURIMA ESSENT OLIM,  
qvæ Principum Natalibus dicarent  
Eguites Römani, solennia; tūm cer-  
taminibus præcipue ac ludis Eqve-  
stribus non ipsum sātem diem il-  
lum, sed complures etiam secutos  
laeti lubentesqve consumierunt, ut  
nullum fe agona, nullum discrimen pro salute Prin-  
cipis non subituros indicarent. Qvod torneamento-  
rum (ut appellant noſtri) genus inde ad Avorum us-  
que noſtrorum tempora traductum, eti gravissimis  
rationum politicarum momentis submotum, pridem  
ac abrogatum fit, consimil tamen qvodam, fed tran-  
qvilliori & Literario Certaminis genere POTENTIS-  
SIMI

F

SIMI ELECTORIS NOSTRI SACRIS NATALITIIS ac Onomasterii litare humillimè, tantum abeft, ut licere minùs existimem; ut potius & prævio Fratris exemplo accentus, & Superiorum actus stimulis, piæque adeò æmulationis ac devotionis ostro percitus, cum ipso hoc Germano amantisimo in contentionem jam ituro, quantum is in dedicanda *Fortitudinis Statua*, inqve effingenda, ad hujus formam ac normam,

*Novi Julii Cæsaris*, h. e. JOH. GEORGII III.

*Serenissimi Electoris nostri imagine elaboravit*, tantum nunc opere daturus ego sum, ut digno eadem nec augeusto minùs, quād ipsi est, loco reponatur, sanctius tantò ac diuturnius colenda. Qvod dum meditor, commodū in mentem venit Romani illius Templi Clementiae, qvod Cæsar is dicatum honoribus, ipsius etiam effigiem receperisse deinceps atqve affervasse, Plutarchus, præter alios, Autor est, fidissimus Antiquitatis Romanæ promus condus. Quādnam enim Victoriae etiam Templum fortissimi Julii, ac Victoriae, si quisquam Cæsarum, inclusi, meritis exstruxerint, statuam tamē ejus in illo dignius decentiusqve locari existimārunt. Ac sanè, cūm in omnibus facile insititus suis singularem prodidit sapientiam Romanorum gens fagacissima, tūm hōc imprimis, qvod Julii Cæsar is, h. e. ipsius quād Fortitudinis simulacrum non alio, quād Clementia in templo coli voluit & celebrari, eximium quidpiam haud dubiè ac dignum altissimis mentibus innuere fategit. Certè, nisi me omnia fallunt, hoc inter cetera potissimum, qvod fortitudinis uti prōrior in favitatem lapsus, ita amplior oppidò & excelsior laus sit, quād eō perverstatis se abripi nequaquam paſſa, æquali potius cum Clementia fastigio firmiter infusat, ac pari cum illa æqvitatibz lance qvovis tempore libretur. Tantum enim utiqve abeft, ut Comitas Severtati, ut Gravitatibz Bonitas, ut Humanitas Majestati quidpiam deroget, ut potius fororio qvodam vinculo velut connexæ omnes tantò faviorem laudis gloriæ qve concentum pariant. Deinde, sive inter Divos numerata-

merare colereque Cæsarem constituerent Romani, perspectum omnino habebant, non aliâ eum propriis ad Deorum naturam accessisse Virtute, quam Clementia, quae Claudiiani effato, sola Diis nos æquat; sive inter Principes imperii summos ac celeberrimos summo ac principe loco haberi eum vellent, non aliâ æq; quam Clementiae ipsius inusitatæ perenni memoria id effectum iri prudentissime statuebant. Etenim recte in hanc rem Seneca divinus:

*Pulchrum eminere est inter illustres Viros;  
Confidere Patriæ parcer affictis; ferâ  
Cæde alfinere, tempus atque iræ dare,  
Orbi quietem, Século pacem sub:  
HÆC SUMMA VIRTUS, PETITUR HAC  
COELUM VIA.*

Et est, ubi Romanæ Eloquentiæ Princeps, Cicero ita Cæsarem compellat: *Nihil habet nec fortuna tua maius, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis servare plurimos.* Ubi sanè laudis ac Dignitatis Cæfareæ utramq; velut paginam optimam Virtutum CLEMENTIA constituit.

Atq; hec eadem cum & inclito Nostro Julio Cæsari, ELECTORI, ingvam, Serenissimo propria laus, primaq; ac præcipua facilè dos sit, qvòd fortitudinem summam ac Gravitatem pari Clementia temperare dicerit, sicq; non tantum strenuum fæc GEORGUM, belli pacisq; studiis insignem, totoq; orbe celebrem, sed JOHANNEM quoq; Gratiosum, & ad mansuetudinem summam planè compositum universum præbeat; qvumq; ipsa adeo Diei & Nomini Johanniæ favitas Clementie nobis memoriam præ ceteris in Principali illo fastigio Virtutibus eminentissimis infinet atq; commendet, nihil à Fæsti hujus augustissimi religione alienum, nihil Eleitorali splendore indignum, nihil deniq; Vestro RECT. MAGN. Auditorisq; Honoratisimi, obtutu atq; arbitratu benigno ingratum me admitturum existimo, si celebranda fe-

ftiori Lucis Solennitati & Honori qualicunque non aliud, quam CLEMENTIAE quoddam TEMPLUM, arte quidem nullum, nisi Oratori quadam exstruetum, nulloque cultu exqvifitioni perpolitum, religiosum tamen oppido & in nostris omnium animis haud dubie pereninatur, laudatae a Germano meo POTENTISSIMI ELECTORIS Fortitudini, ejusque in honorem posita Julianae Statuae subiectissimam mente manuq; consecravero. Qvod ipsum molienti opus vires eisdem se sanè subtrahunt, utpote tanto imbecilliores, tantoque magis impares, quantò illustrior, ac splendidor & Perfona, cui dicatur, & ipsa est Structura erigenda. Etenim nec Architectonicae peritus artis, nec iis Oratoriæ præfidiis instructus sum, ut, qvod soliditati & elegantiæ adifici desit, coloribus, aulæs, similibusque phaleris velut & mangoniis tegere ac exornare possim. Ceterum in magnis ipse conatus laudabilis est, sæpiusque sufficit, vel voluisse. Nemini fraudifuit DEum colere qvocunq; posset modo, & res viles templis dicatae a Consecrantis animo non raro pretium sumserunt. Veftra autem, H.A. Benevolentiam atq; auctorandi studium, qvin mihi etiam infra argumenti dignitatem dictuò fitis probatui, dubitare me minimè facit, qvum erga ipsum, qvi DEus nobis hæc otia fecit, Principem Serenissimum devotione tum qvem ante me dicenti Fratri declarâst haud obscurè, favor & attentio benignissima. Cujus continuandæ studiū enixissimam animi contentione rogo, ut ope veftra ac gratiâ sublevato & mihi primam operi ultimamque manum tanto lætius ac felicius imponere liceat.

Tractatio  
Sistens  
TEMPLI  
rum cura esse solet, ut jaciendo dignè fundamento  
solidissima qvæque feligant, qvæ & extati, &  
moli ferendæ paria cum primis vîa fuerint; eâ verò me  
sublevat *Syngnathus*, Orator Græcus commodum inge-  
rens: ἐνθέται δὲ πάσιν τὸν βαθεῖαν θόρον, κηρυκίς αὐτοῦ λόγος ἐστὶ οὗτος  
εἰς τὸ ἀγαλμα ἐπιπέδον τῆς βασιλίσσης. *Pietas*, inquit, *primum*  
*subster-*

*substernitor fulcrum, cui firmiter simulacrum hoc regni insitiat, firmissimum.* Haud alieno à Syracidis, Davidis, aliorumq[ue] *Θεοπίτερων* dictamine, qvō Pietatem omnis boni initium ac fundamentum passim adstruit. Ad mirari poterat subire animadvententibus, qvo Zelo, qvāmque unanimi prope suffragio atque concentu, qvi inter Gentiles imperantium viros dignis imbutere praeceptis fategerunt, idem olim inculcārint. *Πρόστον η περι Γελῶν Θημέλαιος;* prima, inquit Ariftoteles in Politicis, divinarum rerum cura esto; Subjuncta alibi ratione: *τὸς θεὸς εὐ-νυχέας, ἐναντὶ τοῦ μάνατος αὐτοῖς πρώτος.* DEos prouiores esse affetu illis, qvi maximè sollicito eos cultu prosequantur. Etenim fāne Religio & pietas, qvūm per sead conciliandam DEi gratiam valet, tum sūos & in societate humana maximos habet effectus, qvæ Grotiana in hanc rem verba sunt. Atque ut prudentissimè apud Xenophonem Cyrus ait, subditos hoc sibi addictiores fore, qvō DEI efflent reverentiores; ita vicissim, ex Aristotelis sententia, minūs metuet populus, iniqua se aut indigna unquam paſtūrum à Principe, qvem religiosum credit. Qvare nec ego firmiori aliā aut duriori intrupe, qvām pietatis ac religionis collocavero, qvod molior, CLEMENTIAE TEMPLUM; qvum praesertim ea & ipsi, cuius id Honoribus paratur, ELECTORI Pūffimo optumē conveniat? Qvotus enim quisque nostrū est, qvem lateat, qvām religiosis oppido auspiciis & sumferit. Is imperii sui fasces & in hunc usq[ue] diem, (ò perenni faxit Deus felicitate!) tueatur? Memineritis Aud.H. nec sine acerbissimi doloris sensu memineritis, qvæ ante quadriennium istud fata Patriæ fuerint, qvūm post erectum Beatissimæ Memoriae PRINCIPEM PATREM  
**JOH. GEORGIUM II.** edecumatum

Principalis Glorie ac Virtutis exemplar, summus quoque Sacrorum Saxonorum Myſta & Antesignanus MARTINUS GEIERUS (yah! qvām augustum Ecclesiis nostris nomen, & nisi cognominibus LUTHERO ac CHEMNITIO Duumviris nulli facile comparandum!) ad aulæ celestis facra evocatus, afflīctissimas Patriæ lugentis

G

&amp; cum

& cum peste insuper etiam lucentis res, tanto pejori  
acturbulento magis loco reliquerit. Quid verò tūm SE-  
RENISSIMUS Noster? Non admovit capessen-  
do regimini mentem manumve, qvin de surrogando  
dignissimo Successore, in qvo vitæ ac doctrinæ dotes  
pari lucerent jubare, Lucto, priorem ac sanctiorem cu-  
ram susciperet. Nōrunt, nec sine summa animi oble-  
Etatione referunt, qvi primis tum ELECTORIS  
autoritate celebratis interfuerē Comitis Dreidensifi-  
bus, qvum Potentissimo IPSIVS Nomine, Illustrissimus  
GERSDORFFIVS ad inclutam Statuum concio-  
nem prima faceret verba, & exposita novi Elecotoris vo-  
luntate ac consiliis, de religionis quoqve negotio fan-  
ctissimo, tuendāqve more Majorum, ejus puritate si-  
dem faceret; qvō annuerit gestu plentissimus Princeps,  
qvā moverit laceros manusqve ac oculos, ho-  
stibus veritatis extrema velut minitantes, qvō colore  
genas tinxerit sanguis Electoralis, jam subfiliens quasi  
ad tingenda, ubi religionis necessitas urgeret, haereti-  
corum cadavera. Credo p̄fagiisse fibi aliisqve tunc  
divinum pectus, quale se paulo post præbiturum eslet,  
cūm infenissimus Christiani nominis hostis, turbatis  
valde attritisqve Austriae & Pannoniae rebus in una Vi-  
ennenſium arce totius Christiani orbis libertatem at-  
que fortunas, quantā vi poterat immanissimā, peteret  
ac infestaret. Tali scilicet tamq̄e cœlesti percitum im-  
petu & heroico plenum Spiritu, ut ad præsentissima,  
qveis objec̄tabatur pericula, immotum planè ac imper-  
territum, editi facinoris insolita magnitudine, & ampli-  
simō Victoriae fructu, superioribus feculis gloriam adi-  
meret, posteritatis fidem prop̄ omnem impeditet.

Porrō circa eadem propemodū tempora accidit,  
ut à Pontificiorum castris emissarius Episcopus tunc  
Tinenſis, qvod vi apertā non licebat, clanculum &  
ementitis concordiae ac amoris fraternali blanditiis sub-  
vertere, qvantum in ipso erat, religionis nostræ funda-  
menta non erubesceret. NOSTER majori hīc cu-  
rà atqve vigilatiā opus esse ratus, qvā si aperto age-  
retur

retur Marte; non suos tantum per omnem provinciam monuit, nullis se rationibus, promissis nullis, (qvippe suppositis cineri doloso ignibus) à vero flecti tramite paterentur; sed & reliquos per Germaniam Principes tempestivè rogavit, velint iftos Sirenum cantus non nisi obturatis Ulyfleā prudentiā, verboqve divino auribus audire atqve eludere. Cogit me A.H. in Patriam amor & erga meritissimum Principem humillima pietas, ut, qvō zelo qvāve gratiā, circa Religionem imprimis privilegia ipsi instaurarit, non alieno, ut arbitror, loco hoc deprædicem. Sanè, quod Graci olim post Corinthum everlam, priftinæ Libertatis juribus demum receptis, de seipsi prædicabant, nisi mature capti essem, le incolumes esse non potuisse: id nescio an non de Lusatia pari jure affirmari possit, quorum in terris pontifica religio majora haud dubiè, jam pridem sumisset incrementa, & ad gangrenæ cujusdam instar serpisset latius, nisi divinis oppido & benignissimis, aeternā memoria digni ELECTORIS

**JOH. GEORGII I.** auspiciis recuperata Saxonicaeque ditioni subiecta Lusatia, haberet in Successore quovis laudatissimo, quò veritatis Evangelicæ lucem, inter medias etiam vigentis apud se passum erroris Papæ tenebras, intemeratam tueretur. O felicem igitur Patriam, sed feliciorem tamen ac felicissimam Saxoniam, cui eadem incluti nostri Electoris provida cura novum nunc ac duplum exoritur, velut Castroris & Pollucis, Sydus sacrum, SPENER US atque BEBEIUS, qvorum celebrata per orbem Christianum pietas & in gubernanda Christi navicula fides atqve prudentia uti Reipublicæ nostræ benigna atque lætissima quæque fata pollicetur; ita felicissimo eadem eventu & omnigena prosperitate ut coronentur, totò ac piissimo affectu omnes meritò precamur.

Ceterum jam bæsos hujus sanctæ ac inconcussæ, qvæ pietatis est, fiduciæ, sex columnarum molem totidem Clementiæ artibus & exercitiis constantem, impari licet atque infirma manu imponamus, necesse erit. E-

quidem veteris illius Juliani templi iconem ceteros  
propè omnes inter à Jacobo Lauro exp̄sum haud  
invenio, ad illius alioquin similitudinem nostrum hoc  
q̄vad ejus fieri posset, efficturus; non minori tamen  
ambitu, quām Pacis templum ibi dep̄ctum, & à Ve-  
spafiano, ut Svetonius tradit, olim exstructum, nec  
paucioribus fortè columnis fuisse conspicuum, ex Ro-  
fino aliasq̄e colligo. Et quandoq̄videm omnis, quæ à  
Clementia proficitur actio, vel togæ vel sagi est, ultra-  
q̄ve vel publicè omnibus, vel privato, ut dicitur, cuiq; &  
horum alii merenti ac morigeri, alii reprobo, sed poe-  
nitenti prospicit; certè è sextuplici hâc, qvā omnis se-  
exerit Principium benignitas, ratione, senarius colu-  
mnarum numerus vel sp̄ontē nobis enasci viuis est.  
Qvas eòdem, quò recentiuimus jam ordine, non pige-  
bit erigere, affixis cuique fructuum, qui totidem nu-  
mero inde resultant, imaginibus longè jucundissimis,  
usque dum, qui omnia tegere dicitur, AMOR, tectum, &  
quod complanat omnia ac perficit, FAS atque AEQUITAS  
PUBL. SALUTI intenta, coronidem operi qualicunq; inter  
devotas ELECTORIS Saluti acclamationes, imponat.

Columna 1. Ut autem principe se loco *Togata* offert *Clementia*; ita non possumus non eum lubentissimè ipsi concede-  
re, quippe quæ non lagatà solum, sed & rebus omni-  
bus, quas homini novile datum est, melior, innume-  
risq;e potior triumphis merito cum ipsa pace habe-  
tur. Quæque omnibus omnino hominibus, Senecæ  
effato, necessaria, maximè autem decora Principibus,  
ipsique, ut Justinianus ait, Imperiali Majestati planè  
peculiaris & ad servandam DEI imitationem aptissi-  
ma; non alio certe, qvā summo dignissimoque lo-  
co poni meretur. Atque hinc factum suspicari fa-  
cile licet, quod Reges omnes ac Principes ipsique adeò  
Imperatores inter splendidissimos Dignitatis suæ titu-  
los & qvō compellari lubentissimè gestiant, non aliud,  
qui qvidem ex Virtute aliqua descendat, qvā Clemen-  
tiae titulum, unanimi velut consensu atque constanti-  
retinuerunt; ut scilicet Principes ac Domini clementis  
mi VO-

*mi* vocentur; quād in reliquis titulis, nullum propē se-  
culum, sāpēque vix lustrum aliquod sibi conlēt. Ita  
nimirūm ēst, A. H. ad tuendum boni Principis No-  
men ac fastigium togata imprimis clementia utramque,  
qvod dicitur, paginam facit, ut ēo neqve adscendere  
hac fine comite, neqve confistere diu ac feliciter qvis  
possit. Qvi enim dissimulare nescit, i.e. pacis artibus  
& benignitate usus, veniam errantibus facilem conce-  
dere, nescit utique & imperare. Itaque dignissimo  
HENRICI Aucipis Symbolo, tardus ad vindictām Prin-  
ceps, ad beneficentiam autem velox, Pacem cum ho-  
minibus, cum vitiis solis bellum colat, qvæ po-  
sterior OTHO NI II. familiaris erat sententia. Sic ei  
non omnis ut Caracallæ in ferro salus, sed in liberali-  
tate ac beneficiis erogandis potior voluptas erit, neqve  
omnia ad summi juris, nedum injūtiaē aut tyrannidis  
rigorem exigit. Qvibus potissimum rebus clemen-  
tiae hujus species absolvitur. Cujus insuper utilitas iis  
sele diffundit spatiis, quibus emetiendis non tempus  
hoc, nec ipsa vox sufficerit. Unus, qui potissimum  
hinc nascitur, Subditorum AMOR, modo sufficiat. In  
quo quantum momenti ad omnimodam imperii ipsi-  
usqve Principis felicitatem possum sit, prudentiores  
quique jam pridem voce & exemplo docuerunt.  
Ut enim omnes facile Principis Virtutes ac via in Sub-  
ditorum mores tranfuent & ad ejus velut normam se  
componunt; ita manfvetis imperii manfvescit & ipse  
parentium animus, & ex affectus Principalis, qvō fo-  
vetur, igniculis, tantō majorem amoris flammam con-  
cipit. E quo pulcherrimo animorum concentu, quid  
nisi jucundum ac lætabile sperare liceat? Romani cer-  
tē quād diuturno & perenni more inter solennia sua  
adiveverant, ut in Amphitheatro, Cæsaris cum primis  
honoribus lacros homines bestiis committerent, Theo-  
dosii demum in gratiam renuentis ac fastidentis tam  
dira & cruenta spectacula, defeverunt ipsi ac sponte ab-  
stinerunt, tantō majori postea Imperatorem mitissi-  
mum affectu profecuti. Qvare, qvi vult amari, langvidā  
regnet manu necesse est. Nam

H

per-

peragit tranquilla potestas  
Quod violenta nequit: mandataq; fortius urget  
Imperijsa quies.

Et longè valentior amor ad obtainendum qvod velis,  
quām timor. Neronis autem, dicam, an belluæ? vox  
erat: *Oderint, dum metuant*, item: *Nemo sub Imperio liber est*. Quin optimi quique Principum Liber-  
tatem amooremque cum Regno miscuerunt. Non  
commemorabo hic Augusti civilitatem & moderatio-  
nem summarum, quae illum eò extulit, ut major humanâ  
naturâ, & Deo ipsi haberetur proximus. Non TITUM,  
Delicias Humani generis, non ANTONINUM aliaque sex-  
centa Clementia sanctissima nomina percensébo; u-  
nus, qui fortitudinis antea præbuit, nunc Benignitatis  
quoque fiscat nobis edecumatum Exemplar, JULIUS  
CÆSAR; cuius ea propria quasi laus est, præ qua & vi-  
tam ipsam contempfit, cum diceret: *mori se malle,*  
*quam timeri*. Jam quid de Saxonico dicam Julio, E-  
LECTORE inquam nostro SERENISSIMO? Qui, ut,  
qvod Poeta dicit, os habitumq; Deo similis per omnia;  
ita ipsius imprimis divæ Clementiae speciosissimam i-  
maginem vultu ipso, oculis, voce, gestu præ se ferre,  
non magis ac factō novit exprimere: æqvalibus fva-  
vem ac pacificum, subditis mitem ac benignum, omni-  
bus assabilem ac beneficium sese exhibens. Atque his  
pacis artibus, Virtutibusque ipsa PRINCIPIS Opt. augu-  
stissima Nativitas jam prælustris olim, haud temere cre-  
ditur, quippe que in id tempus incidit, quod universa  
Germania pax, summa inter totius orbis Europæ tri-  
pudia, mox consecuta est. Et verò qvi poterat aliis,  
quām pacificus benignusque nasci, à SALOMONE TEM-  
PORIS SUI PLACIDISSIMO (JOH. GEORGI-  
UM II. dico, vix aliâ, quām pacis perpetuae rarissi-  
mâ felicitate & ad ejus studium artesque composito  
proflus ingenio, inclutum magis ac gloriosum.) Quòd  
melior itaque NOSTER augustiorque TRAJANO ipso  
habendus nobis erit. Quem cum inter optimos prio-  
rum

rum temporum Imperatores numerarent Romani, non tamen antē tamē futurum noverant, qvācum cum iam Dux belli, à Nerva adoptaretur. NOSTRI Bonitas maturiū ipsa ex indole & nascendi condicione eluxit, quin & maturius multō re ipsa fēse exeruit. O verò felix mihi hic iterū fortunataque Lusatia mea, cui benignitatis tantæ primitiis in tui salutem frui & sub auspiciatissimo PRINCIPIS CLEMENTISSIMI moderamine jam pridem Halcyonia agere licuit, ubi PRÆFECTI SUPREMI partes tueri etiam juvenis non dēdignabatur.

Uti verò omnem unicē operam dedit semper, ut suis <sup>Column. II.</sup> in terris tranquilla & pacata essent omnia; ita qvum aliena exorta essent bellorum incendia, mitigandis illis ac refingendis non minorem curam adhibuit: qvodq; perpetuū clausum habere non potuit Jani Templum, faltem ne perpetuū apertum esset, providit. Tantò utrinque Virtutum & Laudum concentu, ut togā æq;, ac armis magnus, domi perinde ut publice, boni, liberæ, miti, simiūq; Principis Exemplum consummaret, neq; Severitas ac Justitia bellicæ Lenitati atq; Clementiæ detraheret. Utrinque nimirum sui potens, neq; pro vocat bella neque timet, & æq; stringendi atq; condendi ferri sciens, in tempus utrumq; consulit rectè, fluorumq; saluti strenuus advigilat. Scilicet alieno etiam sanguini tanq;ām suo parcedum, neq; homini esse homine prodigè utendum ratus, illa demum feliciter bella evenire cum Theudericho Gothorum Rege credit, qvæ justis ac probè deliberatis auspiciis & moderato fine peragantur. Perpetuus eā ratione Viator siquidem, qvod Publ. Syrus ait: perpetuō vincit, qui utitur Clementiā, qvodq; pulcherriūm victoriæ genus Plinius tradit, plures terrore, qvācum ferro ac clade per domare didicit. Didicerat id olim pariter Julius Cæsar, qui propter confecta omnia bella civilia & singularem erga cives pariter & hostes clementiam, *Liberator, Pater Patriæ & Dißlator perpetuus* salutabatur. Qvinq;ages enim bis conferta cum hostibus manu postqvām confixerat, fuso etiam eorum in numero pro pè

pè numero, plurium tamen vitæ pepercisse credebatur,  
ut qvoties Victor existeret, novum hoc vincendi genus  
perhiberet, munire scelenitate & misericordiâ. Sed qvid  
Romanum illum commemororo Cælarem? qvum in Teu-  
tonico nostro plura suppetant, qvam qva dici dignè aut  
breviter posint? Etenim tantò parcior is est fundendi  
etiam hostilis sangvinis, qvanto recti⁹ novit, reddendam  
& ejus aliquid rationem. Qvare CONSCIENTIÆ TRAN-  
QVILLIORI confuturus N O S T R O, nec induit temerè  
& reponit arma in tempore, quæ possit refumere, ubi in  
publicum expediatur, neque fatius forte sit, servare civem  
unum, qvam mille hostes perdere.

Colum. III. Sed dum fieri ita non potest, qvín publicè ac palam.  
omnibus suâ profiſe lenitate Princeps optimus; de tertia  
jam columnâ adiungendo decore non est, qvod prolixè  
laboremus. Suggestit illud Caroli V. in mentem modò  
veniens inscriptio, moneta his aliquando verbis impre-  
fa: *Qvod in Cœlis Sol, hoc in terra Cæsar*, ut indicaret  
Imperator, Solis prolixorem in sublunaria benignitatem  
non esse debere, qvam Cæsaris aut cuiuscunqve Imper-  
rantis in terras subjectas, ceterasqve omnes, quæ ipsius  
præsidio aut favore juvari possint. Atque hic qvidem  
fi Solis nostri Saxonici delineare jubar beneficium suffi-  
nerem, vereor ne oculos perstringens animumqve, ipsâ  
Lucis fluæ ubertate me confunderet atque obrueret &  
ne ab aſtentandi specie minus abesse videar ipfe, qvam  
â necessitate. At verò non efficiſt hic ludere nos elo-  
giis, fed inferioribus longè dignitati ac copiæ dicendo-  
rum succumbere, res ipla & in vulgus nota veritas, vel  
me taeente, loquitur. Nemo hic aditu temerè prohibi-  
betur, neque in caſsum preces fundit, modò æquitati  
aut Juſtitia non oppidò adverſantes. Ut, qvod de Ju-  
lio Marij olim, de Nostro fortè pariter liceat dixisse:  
*Qui coram Te dicere audent, magnanimitatem Tuam,*  
*qui non audent, lenitatem & Clementiam Tuam igno-*  
*rant.* Quid dicam curam ac ſolicitudinem, quam de-  
ſuis non faltem, fed & exteris gerit Elector Optimus,  
ut non timori magis qvam amori omnibus fit? Qvanto  
labo-

laborat opere, ut tūti per bellum, pace florentes agamus, ut qvē concussam fortē & infestatam pacem, Bellicā ipsius Virtute tempestivam ac incolumen recuperemus? Neqve verò illud prætereundum hoc loco est, qvām in exigendis tributis ac vettigalibus, boni Paſtōns *Tiberian* partes fideliter expletat, tondereatis felicet oves, non deglubentis; quāmqve nec lucri ex re qvālibet bonum aut gratum ſibi odorem cum *Flavio Imperatore* habeat. Evidem omnem Reipublicæ conferandas tuendæque nervum militiæ ac pecuniis contineri, vel *Julio* eodem Magistro didicit; Sanctius tamē cum *Pertinace* credit, minoribus gaudere opibus copiisqve, qvām ad dīvitiarum cumulum per discriminum atqve dedécorum vettigia pervenire. Qvin FAMÆ fructum potiorem habet, qvām perennaturam novit, etiam, qvūm opum terrestrium neqve uisus neque ſplendor aut locus jam forte ſuperfuerit. Ac dubium fanē est, utrum ullā alia, quas eminentiſimās habet celeberrimasqve Virtutes, majorem ſibi gloriam, qvām tot Beignitatis ſuæ pignoribus comparaverit.

In his verò porrò explicandis neceſſe eſt, ut cūm aliam non unam, tūm eam imprimis partem silentio, ſed ve-  
nerabundo, prætervehar, quæ illos tangit, qvib⁹ familiariū paullō, aut frequentius ſaltem, uititur. *Serenus Sinus Princeps*, multoqve largiora indolis clementiſimæ *tempus* qvotidie exhibet. Hi ſane verum experientur & proprium Saxonibus magnanimis, illud FRIDERICI SAPIENTIS Symbolum: *Bonum Principe nihil à Bono Patre differre*. Neque vero ſe poſte tatis prædicare ſuntur ipsi, ſingularem illam comitatē ac manſvetudinem, qvā audiat rogantes & monentes, qvā amplectatur obſequentes, laudet ametqve merentes bene ac rerum fuarum fatagentes; quām gaudeat producere in lucem ē tenebris, & digno Virtutem loco ac munere ſolari. Qvō fit, ut non minorem habeat cauſam Noſter, qvām laudatiſimus inter Atavos ipsius FRIDERICUS ille, cur Deo gratias agat, qvod tanto iſpsum amore tantāqve fide vicifim profequantur ſinguli, ut cuiusvis in gremio reqviſcere tutus ac incolumis poſſit. Qvā quidem in felicitate firmiſimum & qvōvis pro-

pugnaculō, qvōvis clyped tutius Regni præsidium sapientissimi qviqve semper collocarunt. Neque possum qvin eam in rem de LUDOVICO FERREO, Thuringiæ Landgrafo, historiolam subnectam. Neoburgi tunc arcem ille incolebat, sed mœnibus omnino nullis munitam. Quam securitatem satis, pro temporum illorum injuriis, magnam cum miraretur aliquando Imperator Gloriosissimus FRIDERICUS I. qui invisiendi ipsum gratiam fecerat, respondit Ferreus, cautum jam fibi esse, ut qvōcunqve liberet triduō, validissimis oppidum muris circumdari posset. Subridens Imperator, jocō hæc aut parum deliberatō animo dici, ratus, id qvīdem omnium, qvotqvot ea & amplior fortè provincia aleret, murariorum operā perfici minimē posse, contendebat. Ille, convocatis subito Vafallis omnibus armatis ac manu fortibus, ut primum nox ingueret, circumvallabat arcem, itaque disponebat ordines, ut singulæ turris prominentioris vicem expleret. Comes singulus vel Dynasta. Mox ē fenestra ut prospiceret, Imperatorem rogat, qui FIDEM SUBDITORUM & felicitatem Landgrafi miratus, nunquam se pulchriorem in omni vita murum vidisse asleverabat.

Colum. V.  
& VI.

Atque ejusmodi murariorum ope qvod reliquum est ædifici nostri ac columnarum faciliter pariter negotio absolvetur. Modò ne pigrat Vos, RECTOR MAGN. PATRES QVE CONSCR. AC AUD. RELIQVI, aut poeniteat brevissimi temporis, quod colophonem operi mox imponet. Ipsos enim nunc fistam Subditos ac Incolas Saxonie quā patet, universos ac singulos, sive *probi* sint illi; sive *reprobi*, poenisque adeo vel præmis digni, aut qvōcunque demum cenuf veniant. Eorum, inquam, omnium fidem appello ac conscientiam. Dicant, qvo animo in ipsos fuerit, ex quo fasces Electorales suscepit. POTE  
TISSIMUS JOH. GEORG. III. quām placidum, mitem ac beneficum experti sint, quām absumptas igne domus ac tantūm non urbes integras suis exercitari sumptibus jussit; qvum censum ac tributorum nō mediocrem summā pressis ac inopibus remisit; qvum sarcas atq; teat̄as cuiusq; opes ac fortunas ita habuit, ut sub tranquillo ac felici iplius umbone non minus felicē exi-

exigere vitam unicuique licuerit, nisi qui suā se ipse felicitate per scelus summum atque malitiam defraudaverit. Qvāqām nec horum aliquis habebit de qvō converatur, qvandoqvidem Benignissimus ELECTOR suā nullum unqām lētentia dāminat; qvin defensionem juris etiam solitō ampliorem sēpūs indulget, omnemq; ejusmodi ē causam Prudentum consiliis dirimendam transcritbit. Eqvidem ita cum Augusto Imperatore non solum sentit Noster. *Debere Principem, quæ in Rēpublicā peccantur,* exegvi, at privatum in se admissa tolerare; sed & factō sententiam, reūtiū atq; ipse autor, confirmat. Cujus hic certe parum memor deprehensus, quūm & Tullio meritissimo duriorē & Nafoni Poētā implacabilem se prælitit, nec vel solo isto versu ad divinorem lēnsū flecti se passus est:

*Flebitur iratus voce rogante Deus.* Alia omnia in Nostro experientur quotidiē illi imprimis, qui literarum studiis opérām navant. In qvos non odio saltem non savit, sed & beneficia ac stipendia, certe si numerum computemus, vel Regis impensis ac fide majora cumulat. Atq; hic latius denuo dicendi campus se nobis aperit, qvām cui obēundo tempus aut institutum nostrū respondeat. Qvare sepositis, quāc hīc dici merebantur, qvām plurimis, ne vestrā AUD. HON. patientiā abutar, qvod restat, Templo nostro Tectūm simul & Colophonem nunc imponam.

Itaque à qvo preficuntur & in qvem resolvitur omnis Tedum. illa Clementia ratio, sistendus jam nobis in proscenium est AMOR PATRIÆ. Amori uti nihil arduum, nihil difficile est, ita & supremo à nobis loco facilē exponetur. Sed qvid exponam prolixius, quem omnes intelligunt ejus esse indolis, ut quascunqē temporum ac fatorum injurias per-æqve sufferat & à suis quām longissimē averruncet: ut siuos tegat, colat, defendat: ut prona ad beneficiendum bonis, ad condonandum sequioribus faciat, quāc occupavit, pectora: ut trifissima quāc; ipsamque ad eo mortem subire eadem lubentius faciat, qvām permittere, amatām à se rem casu ullo aut facinore temerari? Ea omnia qvām convenient in SERENISS. NOSTRUM, vel ex dictis arbitraturum facile qvemqām confido. Solō nempe is Amore Patria inductus, non tantū se suam; vitam ac fortunas discrimini non uni exposuit, totq; ac

tam egregia patravit facinora; sed &c, ut perennioris in Patriam affectus, etiam post fata (qua serissima fxit Deus!) duraturi pignus daret, FILIUM PRINCIPEM, ELECTORATUS HEREDEM exteris in Regionibus, certe non sine vario variorum casuum periculo, nisi excoli artibus fecit ac Virtutibus, de quarum fructu letari olim Patria abunde posset. Quem ut propediem felicissimis auspiciis reducere exosculari Patriæ liceat, devotissimis meritis suspirius exoptamus! Ceterum ut tritisimam paroemiā,

*Jusitiae in se virtutes continet omnes;*

ita Clementiam suo quoque umbone veluti fovet atq; complectitur, neq; adeo indignum in Templo ejus tegendo locum occupat. Namque & dirigit eam & aequitatis filo tanquam Ariadnē ad Virtutum omnium metam unicum & summum fastigium, SALUTEM PUBLICAM, (Templi idcirco nostri Coronidem,) recto tramite deducit.

**Conclusio.** Atque ita demum, A.H. cum Horatio, sed quā decet modestiā, exclamare mihi liceat:

*Exegi monumentum ære perennius,  
Regalijs ſtu pyramidum altius,  
Qvod nec imber edax, aut Aquilo impotens  
Posit diruere aut innumerabilis  
Aimorum ſeris & fuga temporum!*

Sanè Ephesino Diana templo, qvod hōc ipſo menſe olim concrematum legitur, diuturnius vel Veftris ac Posterorum in animis futurum confido. Quibus nunquam exciderit, nunquam eripietur grata CLEMENTISSIMI ELECTORIS memoria. Configute igitur ad Templum hoc Principalis Benignitatis, qvotquot illâ vel pietate vel necessitate urgemini, prorsus confisi, perinde Vobis Aſylī loci futurum illud, ac Julio-Ceſareanum, de quo idem Bulengerus post alios affirmat. Sed memores configuite tanti beneficij, gratiaeq; mentis tenaces. Qvarum, cum alia ratione non liceat, voto faltem pio, velut thure oblatu, publice mecum teſtaram facire, ut, qvas non poſſimus ipſi, Jova ELECTORI tribuat pro munere grates!

Illū ergo DELIM Opt. Max. religiosā ac indefiniti prece polcimo, semperq; polemico ac flagitabimmo, ut, qva pro Salute Patriæ, pro Libertate communia ac Religione, pro dignitate Imperii cogitat, aut fulcipiet PRINCEPS NOSTER CLEMENTISS. benē prospereq; evenire finat, faveatq; his Beneficiis suis, nullā malevolorum machinā, vi nullā aut fraude unquam labefactandis! Ut IPSE pariter a universa ELECTORALIS DOMUS Augustissima omni felicitatis copiā floreat eternū ac coronetur! DIXI.

GOTTL. CHRIST. VICEDOM.

AS ECCL. ED.

Beschluß / Aria :

# **D**ie wird der Theure Sachsen-Held /

I.  
Im wahren Contrefait gewiesen/  
Und Sein vorlängst bey aller Welt  
Erchollnes Eugen-Lob geprisen/  
Hier sieht sein unvergleichlich Bild  
Voll Glanz / der Ost und Westen füllt.

II.  
**D**ies strahlt von Gnad und Tapferkeit /  
Drum Ihm der Gnaden-Götzin Tempel  
Als Ehrenburg wird eingeweiht /  
Zum wunder-würdigsten Exempel /  
Dass mehr als einer Gottes Pracht  
Die Fürsten-Zier vollkommen macht.

III.  
**M**ars thut es hier alleine nicht  
Noch Pallas: Auch die Charitinnen  
Bestrafien sein Chur-Fürstlich Licht  
Und lassen Ihn das Lob gewinnen  
Dass Er zu Krieg und Friedens-Zeit  
Dem Lande Schutz und Trost verleiht.

IV.  
**T**ie tapf're BRUDE sieht für den Ruh  
Und zeiget sich dem Feinde forne /  
Der Türken-Mond sind noch geniß  
Ein Chur-Schwert-mahl an jeden Horne /  
Ob Er es gleich gar bald bey Wien  
Begunt im Fischen ein zu ziehn.

V.  
**S**as HAUPP der Hohen Weisheit Thron  
Erwieg't was Nutzen oder Schade /  
Und thielet eines jeden Lohn  
Nach dem Ers werth von Zorn und Gnade /  
So das die Billigkeit nicht leicht  
Dem alzustrengen Rechte weicht.

VI.  
**S**as AUGE das der Feinde Blitz  
Und Furcht und Schrecken war gewesen /  
Wird bald ein holder Gnaden-Sitz  
Und lässt iederman genesen

R

Der

Der sich in Demuth nieder beugt  
Und seine Schuldigkeit bezeugt.

VII.

**D**en OHREN klingt nicht immerfort  
Der Knall der donnernden Metallen;  
Sie nehmen auch ein Friedens-Wort  
Gar leicht zu gnädigen Gefallen/  
Wann Ruh und Ruh für jederman  
Im Lande drauß ersprechen kan.

VIII.

**G**annenacht die Huld-Göttin den MUND/  
Dass Er nur Lieb und Gnad ausstreuet/  
Und durch gewünschten Friedens-Bund  
Das Hochbegehrte Land erfreuet.  
Dass also Ernst und Gnaden-Schein  
Hier immer zu vermischet seyn.

IX.

**D**rum strahlt des Sachsen-Helden Bild  
Mit einer doppelt-hellen Sonne/  
Die Ruth und Huld mit Glanz erfüllt  
Zu aller Menschen Ruh und Bonne/  
Und führt die Überschrift: Die Brust  
Hegt einen Cæsar und August.

X.

**M**und wohl / daß wir an diesem Bild'  
Auch schon zwei Neben-Sonnen schen/  
Die/ wenn die späte Zeit erfüllt/  
Sein Licht nicht lassen untergehen  
Und stellen stets in neuer Zier  
Das Götter-gleiche Bildnis für.

XI.

**M**öhlau! es ist des Sachsen-Stamms  
Chur-Fürstlich Bild in vollem Glanze/  
Als wie die Sternen Abrahams/  
Bis es eins/ wenn die große Ganze  
Sein Sonn-und Sternen-Licht verliert/  
Mit Himmels-Glanze wird beziert!

85 (o) 50

All-

Anhang  
Des  
Unterthänigsten Reise-Bunfges /  
Welcher / als  
**Die Durchlauchtigsten Thür.-Kurstinnen**  
**Von Sachsen und Heidelberg/**  
ii. ii. ii.

Nehst Tit.  
Des Thür.-Sächsischen Brinkens /  
**Herrn Friedrich Augustens/**  
Hoch-Kurstlichen Durchl. ic. ic.  
Auff der Reise nacher Holstein und ferner zu Einhohlung  
**Ehrer Thür.-Prinzl. Durchl.**  
zu Sachsen / ic. ic.  
begriffen waren/

Und am 5. Juli 1686. alhier zu Wittenberg  
ein Nacht-Lager hielten/

**In einer geringen Nacht-Music/**  
Im Nahmen  
Derer alhier Studirenden  
von Bisshum und Löser /  
gehorsamst/ ob wohl erfertigt  
abgelegt wurde.



I.

**M**ehr als beglücktes Tages-Licht /  
Du bist uns allzufüh entronnen;  
Doch mangelt uns an Lichte nicht /  
Nach dem die Theuren Landes-Sonnen  
Durch Ihren hellen Gnaden-Schein  
Uns mehr als Licht und Sonne seyn.

R 2

Drumb

## I L.

**D**rüm hießt die tiefste Pflicht und Freud'  
Ein möglichst Opfer zu gewehren/  
Im fall sich Ihre Göttlichkeit  
Durch schlechten Zuruf lässt ehren/  
Und wann ein Wunsch der treu gemeint/  
Vor Ihnen als ein Weyrauch scheint.

## III.

**D**enn Ihren Welt-erstholtnen Preis  
Durch unsre Stimmen zu erhöhen  
Wird unsre Niedrigkeit uns gleiß  
Vor dißnahl sich nicht unterscheiden/  
Weil solches in so kurzer Zeit  
Der größten Kunst unmöglich ist.

## IV.

**W**ir ehren Ihrer Gottheit Zier  
In tiefster Demuth nur von ferne  
Dass man die Dienst- und Dank-Begier  
Indes aus schwachen Zeichen lerne /  
Bist einst die Zeit uns Ihre Gnad'  
Uns Kraft verleiht zur vollen That.

## V.

**D**er Himmel sich' Euch stets zur Seit'  
Ihr höfstaerlichsten Landes-Mutter,  
Und lass' ein Englisches Geleit  
Abwenden alles Ungewitter/  
Bis Ihr des Landes Zier und Krohn  
Uns wiederbringt / den Theuren Sohn!

## VI.

**N**och DIe sen nichts als Glück bewußt/  
Und Heyl auf allen deinen Wegen /  
Durchlauchtigster K[ARL] I[NGO]L[AS] AUGUST,  
Des Landes Anderer Trost und Segen/  
Damit die Sachsen-Rante nie  
In einem Zweig alleine blüh !





**N**obile par Fratrum, quos gloria gentis avitæ  
Excitat in laudes, perpetuumq[ue] decus.  
Pars orbis melior, pars optatisima Phœbi,  
Pulchrum naturæ se superantis opus.  
Uttere luce Tuâ, nomenque per æthera notum  
Irradia flammis luminibusq[ue] novis !  
Sic aquilæ generant aquilas, sic lætior exit  
Phosphorus, & Solis nunciat effigiem.

*Lub. meritoq[ue] facieb.*

Theodorus Dassovius, P. P.  
p.t. Acad. Rector.

**F**ortibus in Mundo *Clementia* propria fertur,  
Nam faciles motus Mens GENEROSA capit.  
*Fortia* supponit, Non fortia surrigit HEROS ;  
Maxima Magnanimus tollit & ima levat.  
*Parcere subiectis*, sed debellare superbos  
Dicitur ipse Leo, qvod mage Fortis amat.  
**JULIUS**, *Augustus Cæsar*, fortissima quæque  
Vicit, & omne suum Nomen ad aſtra tulit.  
*Magnus* in Orbe fuit sic Nomine *Fortis*, ut inde  
Nomine *Clementis major* in Urbe foret.  
*Tullius* est testis tutamine pro *Marcello*,  
*Clemens* hoc *Forti* non magis ullus ei.  
**SAXONICOS ELECTORES** hæc *Utraq[ue]*; *Virtus*  
Evehit in cælos, vel super aſtra vehit.  
**HEROAS** *Fortes Clementia* cælitus ornat,  
Aurea sic *Pacis* tempora Terra colit.  
Hæc VICE-dum DOMINI GENEROSO pectore condunt,  
Nescit in occulto lingua latere diu.  
**Virtutes ELECTORUM** Par Nobile FRATRUM  
Miratur, DOMINIS dat *Sacra cuncta fide*.

L

ILLU-

ILLUSTREM VICE QVEM DOMINUM *Lusitania* laudat,  
HUNC GENEROSA PATREM BIGA referre cupit.  
*Felices PATRES, qvies Prolis Gloria furgit!*  
*Felices NATOS, qvos PATRIS ACTA vehunt!*  
SAXONIS HEROIS *Fortis Clementia furgat,*  
MUNDI MAGNATES inter ad *astra migret?*  
*Audaces vincat, preffis, Clementia parcat,*  
*ELECTORALIS floreat usque DOMUS!*  
ILLUSTREM VICEDOM Meritorum summa coronet  
*Gloria, & in NATIS Vixit IMAGO PATRIS!*  
GRATIA plena DEI, CLEMENTIA PRINCIPIS ornet  
ILLUSTRES JUVENES! Hoc *mea Vota* ferunt.

GENEROSSIMIS DNN. FRATIBUS,  
In Spem PATRIE Certam Natis, VICE-  
DOMINIS, pietatis & felicitatis Ominis  
ergo f.

Johannes Deutschmann / D.

**R**Emunerandi Heroas, Generofissimi Domini, variare morem, & pro diversa populorum pietate non uno modo insticu, neminem, nisi qui in historia planè sic hospes arque adèò ingeniosi subiectorum erga optimæ note Principes amoris prodi ta monumenta juxta cum ignarissimis nesciat, latere potest. Sed cum Magnatum fortuna non desideret compensandi vices, neque parentium copia fuggerat restituendi facultatem, rectè existimâsc, videri poterunt, qui verbis potius summas Principum virtutes peragendas esse dixerunt, quâm ut post fata fugientem vorundam famam Saxis atque metallis victuris in injuriam sat atque invidiem, annorum monumentis homines laborent adstringere. Fluxerunt inde Orationes Panegyrica, quas vocamus, qualem perfectæ, si Ca saubono credamus, artis nobis reliquit Plinius, quæ tamen censuram, hac in re, uti in plerisque aliis admirationem prudentiæ judicatrixis affectantis Boccalini effugere haud potuit, acerbis nominibus perstringentis omnes, qui in vivorum Principum laudem scripta & orationes adobnarent, quasi id nullo profus modo sine adulatio[n]is nota suscipi queat. Enimvero vota excitantur & obsequia, si vivo adhuc Principi ipsa pietas tam pulchram subinde refricer memoriam, & inter iteratas audiendi delicias dissiperatur, qvomodo colligendis virtutis Principis vestigiis non modo per multas exterioresque regiones e- undem

undum, sed nubes & celorum adytâ referanda esse, unde felicitatis  
origo constare possit: quomodo cùdem magnanimitate summa  
omnia aggrediatur, quâ horrenda cunctâ despiciat, tam à celo secu-  
rus auxili, quâ ab animo certus fidei: praterea si princeps non-  
tam implicatus ad severitatem, quâ propensus ad misericordiam  
& ab innocentia clemens, qui recte faciendi omnibus non tam im-  
ponere necessitatem, quâ incutere voluntatem, neque tam time-  
ri Leges, quâ propter se diligî malit, ostendatur. Quibus auditis  
quis erit tam präfatae negligenter, aut adeò ab obsequiis sanctimoniis  
alienus, quia vota sua protinus publicis conjungat, ut Deus pro-  
picius Principem ejusmodi confervet, & vel de suis annis ipsi annos  
adaugeat. Neque igitur vestrâ pietati, GENEROSISSIMI DOMINI, scrupu-  
lum injicere potuit ipsis hominis, qui vera laudis indolem igno-  
râsse videtur, cavillatio, quô minus FORTITUDINIS atque CLE-  
MENTIAE Serenissimi ac Parentissimi Saxonie Electoris JOH.  
GEORGII III. in cuius nomine omnia ad eternitatem fa-  
mæ conspirant, imagines in templo famæ dedicaretis. Vivit equi-  
dem cum Sole & Luna virtutum Herois nostri ac Patriæ Patriæ  
memoria, quarum nulla est, qua non rem voluminis abunde sup-  
pediret, quô singula summa momenta hujus glorie in secula mi-  
grent, & posteritati quoque innoteant. Vestrum autem, VICE-  
DOMINI GENEROSISSIMI, vel eo nomine nomen omnibus  
charum estimatumq; erit, quod tam apertos & disertos publicè vo-  
luntatis interpres atque praecōnes laudum eminentissimarum in  
nostro Princepe, Romani Imperii & exterarum quoque nationum  
suffragiis munitarum stiterit: neque dubium est, quin in hac For-  
titudine & Clementia, tanquam minime lubrico fundamento for-  
tunæ & famæ domicilium ædificare, atque adeò avitam laudem con-  
sequi valeatis, quam spem ex animo vobis gratulatur

Joh. Fr. Mayer, D. & P.P.

**P**roximus hic gradus est, quo Vos, simulacra Deorum  
Qui geritis, Rerum Domini, nunc altius ire,  
Æternâq; ipsis Superos æquare potestis  
Famâ, si virtus, si Vos clementia terris  
Optatos reddant; duo sunt hæc Numine digna:  
Numine major erit, qui borum Tibi Maxime SAXO,  
Præripere audebit palmarum Quis SAXONE major?  
Ipse sua dextra à Turcis servâsse Vietnam  
Gaudet, & Ære suos, galeasq; onerâsse lacertos:

L 2

Fortior

*Fortior HOC nemo est, hic Clementissimus unus,  
Qui fuit in Teucris, & servantisimus æqui;  
Ut non immerito Vos lucubrare moverent  
Tanta Trophea Ducis, Vos, qui modo Leucoris bujus  
Et decus, & robur, patriæ spes larga vigetis,  
Nobile Par Fratrum studii, Virtute decori,  
Quos DEUS ad Patria sibi servet commoda nostra!*

Gratulabundus deproperabat

D.Godofredus Strauß P.P.

**D**um Patris Patriæ memorantes Leucoris audit  
Laudes, haec visa est lætior ore loqui:  
Ter mihi salvebis, Fratrum lexitissima biga!  
Qvà Phœbo fatagit gratius esse nihil.  
Immortale tibi majorum gloria nomen  
Conciliat; majus sed dabit ingenium.  
Omnia Leucoridos rata fint! Ad maxima nata  
Pectora surgatis nomine in altra, precor!

D.G.Michaël Heber, P.P

PARI  
FRATRUM GENEROSORUM

S. D.

JOH. HENRICUS BERGER,  
J. U. D. & P. P.

**D**lxstis è cathedrà solenni, applaudentibus  
Patribus, ornatè; Qvo nomine VOBIS imò omnibus, qvorum  
interessit, gratuler; Tantò certè diligentius, quantò alacriores VOS  
in viâ Juris, qvam haud ita pridem ingressi estis, experiar. Parest  
& concianitatem morum & ingenii soleriam, qvēs inclarescitis,  
publicis tabulis exempli loco fisti, iis praesertim, qyocqvt vere  
Nobiles verè Generosi ulupari gestiant. Agit vero, O MEI, &  
ut coepistis persistite indies magis magisque macii. Insignis uti-  
que spes ubique affulget, ex VESTRIS virtutibus GENTI VICE-  
DOMINORVM, cui feliciter inferti estis, ingens decus accessurum.

GENE-

GENEROSISS. FRATRUM VICE-  
DOMINORUM PARI

S. P. D.

GEORGIVS CASPAR. KIRCHMAJERUS,  
Prof. Publ.

**N**isi Nascendi conditio Vestra Generosorem & excitatam ad summa indolem ponderet; ipsa, quibus innotrimini, pulcherrimarum rerum studia indubitate efficit argumento. Aquilarum certe, etiam teneriorum primus hic labor ac velut donacio traditur, ut Solis matre ferant radios, ac proprii subinde & incomiri obtutu arbitrentur. SOLEM Augustissimè ELECTOREM splendidiorem Saxonia non agnoscit, nec forte Christianus quæ patet, Orbis. **E**JUS Virtutum Serenissimos radios non modo coram haud ita pridem Vos hic suspicere, multaque PRINCIPALIS Gratiae pignora devotè exoculari meminimus; sed & sufficiendum idem aliis jubar diserto nuper sermone exponere, magna cum voluptate, publicoque plausu audivimus. Mædi eā, ceterisque dotibus, in quibus & ipse POTENTISSLIMUS ELECTOR, & Patria, & Parens illustris & Academia hæc, & qui Vestra nunc iuvant ac moderantur studia, habebunt olim, quod Sibi & Vobis abunde gratulentur!

---

**M**ortalitatis elevato limite,  
Impensa cœlo gloriae vestigia  
PRINCEPS per orbem seminavit ENSIFER,  
Æquans SECUNDUM gratiâ, felicior  
PRIMO, JOHANNES TERTIUS GEORGIUS,  
Divinitatis particeps HEROS, suis  
Pater benignus, exterarum gentium  
Amor, fugatis terror ipse Barbaris,  
Alterq. Iurcis oppido MAURITIUS.  
Quem nulla dignis prosequetur laudibus

M

Ætas

*Aetas, nec ulli conticeſcent poſteri.  
Vos, qui Juventae promitis fructum modò,  
Devota dum ſic imperavit PRINCIPI  
Vizibulum orum, gentis antiquæ, domus,  
Latius, qvod opto, utrumque claudetis. Viri.*

Sinceri affectus, bonique orationis  
cauſa f.

Michaël Waltherus,  
Prof. Publ.

ILLUSTRI FRATRUM PARI  
publicè ſolemniterque peroranti

s. D.

Christianus Röhrenſee /  
Prof. Publ.

**D**UO præcipui sunt, qvæ generofam mentem occupare debent, ſtudiorum genera, Eloqventia & Sapientia: quorum posterius iuſti honestique fundamenta jacent, agendi que formam imprimit, que deinceps in universa vita fervatur; prius lingua finit, ac id praefat, ut qvæ in re civili ac negotiis publicis sapienter noscimus putavimus, apta ornatique oratione exprimamus. Atque hæc tam arcte copulata & inter ſe devincta sunt, ut nec efficax, communioque egregio proficia eſſe poſlit sapientia, que eloquentia deſtituitur & evanida plerumque, immo noxia evadat differendivis, cui sapientia deſtit. Qyō magis decorum Veftrum institutum eft, GENEROSSIMI JUVENES, quō utramque juugitis, non illam sterilem quidem ac ineptam, que tota defudat in orationibus & quæſitionibus contentiosis, tantumque, altercationi ac exerceendo ingenio comparatis, ſed dignitate angustam, uſu praefantem, quā præclara peſtora ad magna fortune cultum excitantur. Teltatum id facit nobile illud ſpecimen, qvod cum Academie plauſu nuper admodum edidifis. De quo & Vobis impens gratulor, & DÉLIM veneror, ut ſolpicer Vos, ac erecta Veftra, planèque illuftria ingenia iis porro imbuī artibus concedat, qvas PATRIÆ requirit utilitas, Potentissimus PATRIÆ PATER magni facit, ac Perilluftris PARENTS Vester inuilitatā dexteritate exercet.

Per-

*Per quam Generis Fratribus,*  
CHRISTOPHORO FRIDERICO, & GOTTO  
LOB CHRISTIANO VICEDOMINIS,  
Illustri propagine ECSTAEDTIANA oriundis,  
C. S. SCHURZFLEISCHIUS.

**Q**uod bene utriusque veritatē festo ritu agitis Natalē maximī PRINCIPIS, & ut par est, tempore ad dicendum opportuno, tam sicut à quā solēni oratione colitū acritū celebratis. Quo fieri, ut postēr notum testatum gressū sit, digna clientelā reputari obsequia, quā Principi omnium charitates complexo, tam late tamq; auspicio imprimis die exhibentur. Dignam Generi vestro operam fūnitū, & Heroi Martio libertatis, propagatori accerimo, fandūm & solēne officiū reperditū, qui nisi ipse super caput pro salute communis barbaris hostibus obiecisset, supremū hoc, credite, vobis, nobisq; Patria gaudium fuisse. Atēnū vero Princeps, quem sua fortitudo, nullia tacenda feculsi, & praesentissimo tunc pericolo eripuit, dñe invictus beneficio eft, ut non magis Saxonia, quām terrarum Orbis communis letandi materia stoppidaret. Felices vero fortunatosq; Fratres, qui occupārunt gratulandū studium, quod seu pietatis, sive industria contentionē quadam, praripere alii cum animis statutum habuerunt. Injecit hanc utrūq; memorem DEus, Principem ille cuius & arbitrii prepotens: excitavit animi & voluntatis similitudinem generofissimum Pater, occasione arripienda sanctius idem gravius autor, cum tempestivè, tam serio Vos admonuit, ut quām Patria faciliū magnam ftem, eam idoneo & apto, nec à pietate sejundo specimine approbaretū Principi summo, & adorandam patriam maxime credo. Qui ut familias illustri & equestrī loco natas benigne tuendas suscipit, & perindeq; gentes foret; sic & Vestrā gente milito alienior, plurima ab utroq; Vestrā ornamenta expedit, & commoda equū fbi ac Patria pollicetur. Agite ergo Fratres, sic anima pares, equū laude certamine, ad dignum, stirpe Vestrā cultum excitatū, curriculum glorie, quod atate optimarum rerum capace impresi eftis, prosperè atque ex animi sententiā conficiatis, & munia patria honorifica pariter atque utilia salvātū & fspites, in toga utrigue feliciter obeat.

**F**lorida p̄alutris, FRATRES, Foetura Parentis, Quo circum Virtus nobilitata micat.  
Ut vos magna decent, sic magnos HECTORIS ausus SAXONICI meritō concelebrare juvat.  
Cujusab auxilio fausto & vietricibus armis  
Libertas Regini Religioque viget.  
Quique serenato Vultu ipso & Corde benigno  
Et Charitum & Martis continet omne decus.  
Id dum non fiēta depingere luce paratis,  
Luce decus Vestrum splendidiore micat.

*Summa expectationis Pari amorem & studium  
probaturi scribant*  
**CONVICTORES.**  
*M 2* *Luzia*

**Q**Valis discussiens fugientia Lucifer affra,  
 Aut qualis surgit noctis pranuncius Hesper:  
 Qualis, cum primum tenebris aurora fugatis  
 Induxit rubicunda diem, sol aspicit orbem  
 Lucide, & primos à carcere concitat axes:  
 Talis adspicit Princeps, talis quoq; Saxoni orbis  
 Miratur, plenâq; DEUM generatur acerrâ.  
 Hic est, qui festis felicia secula reddit,  
 Pacatamq; regit patria virtutibus oram.  
 Hic est, qui parcit miseriis, reprimitq; superbos.  
 Ut merito dubiam teneat sententia mentem,  
 Bellica nunc virtus, num sit clementia maior?  
 Hic etiam labor est vobis, ea cura viriles  
 Exflimulat mentes, generofo Stemmate nati?  
 Ut melius virtus, nunc hac, nunc illi corucet.  
 Felices anima! quibus hac contendere primum  
 Cura fuit, digni prorsus conamine vobis.  
 Egregias certe laudes, atque ampla referit  
 Prmania, qua nunquam pallens oblitio carpet.

Unanimi hōc concantu, generofis VICEDOMINORUM conatus  
 solemniter adplaudunt, qui ex ordine Equestris, Muis Leu-  
 coris hodie operantur:

George Job von Wildau.	Heinrich Löser.
Johann Ernst von Rechenberg.	Hans Christoph von Lest.
Magnus Löser.	Johann Daniel von Körner.
Carl Bogislaff von Dewitz.	Wolff Rudolph } von Ende.
Felix von Gläsinap.	Wolff Carl
Christoph Bisthun von Eschkat.	Johann Jacob von der Dörsel.

### CORONIS VOTIVA

EPHORI CALENI, AD SUOS VICEDOMINOS,  
 Solennia nuper Vota, nec sine plausu ac gratia  
 publice disperitos:

**E**Gregiae Mentes, Generofaq; Petora, Phœbi  
 Et Patriæ & Patris Spesq; Decusq; meum.  
 Qvām bene primicias, studiorum & pignora mentis  
 Subjectæ ENSIFERO Vota precesq; datis!  
 Audit hasce Deus jam captaq; CÆSARIS armis  
 Atque ope SAXONICA BUDA coronat eas.  
 Audiat has porrò Deus, & qvæ SAXONIS AULÆ  
 Et PATRIÆ, & VOBIS commoda, cuncta duit!



Vc 5180

2°



COLONIS AVGVSTIA  
CIVITATIS CALVIANAE ET ZEITONICAE  
CIVITATIS CALVIANAE ET ZEITONICAE  
CIVITATIS CALVIANAE ET ZEITONICAE



10/1

Po. dig.

m.c.







STATUA FORTITUDINIS  
 JULIO - CAESAREANAE  
 IN  
 TEMPLO CLEMENTIAE  
 ERECTA, ET  
 AUGUSTISSIMIS HONORIBUS NATALITIIS  
 AC FELICITATI GLORIOSISSIMAE,  
 SERENISSIMI AC POTENSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
 DOMINI

# JOHANNIS GEORGII III.

DUCIS SAXONIAE JULIACI CLIVIAE ET MON-  
 TIU M, S. R. I. M P. ARCHIMARESCHALLI ET ELECTORIS,  
 LANDGRAFII THURINGIAE, MARCGRAFII MISNIAE, ET ULTRIUSQUE

LUSATIAE, BURGGRAFII MAGDEBURGI, COMITIS PRINCIP. DIGNIT. HENNEBERGAE, CO-  
 MITIS MARCAE, RAVENSBERGAE ET BARBY, DOMINI RAVENSTEINII. ETC. ETC.


BINIS ORATIONIBUS SOLENNIBUS,  
 IN INCLUTAE LEUCOREAE AUDITORIO MAJORITY

ET PANEGYTRI PUBLICA  
 HUMILIMO ANIMI DEVOTISSIMI CULTU  
 CONSECRATA,

*Matis Marca*

*B.I.G.*

*Black*



A  
 POTENTISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
 SERVUS HUMILIMIS  
 O FRIDERICO, & GOTTLUBO CHRISTIANO  
 TRIBUS GERMANIS, VICEDOMINIS AB ECCSTAEDT,  
 DIRIGENTE EPHORO,  
 M. F. CALENO.

